



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

B84

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN.

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

PROFESSOR DER CLASSISCHEN ALTERTUMSWISSENSCHAFT AN DER UNIVERSITÄT BRESLAU

ACHTER BAND.
VIERTES HEFT.



DE PEGASO

SCRIPSIT

FRANCISCUS HANNIG.

BRESLAU.
VERLAG VON M. & H. MARCUS.
1902.

Printed in Germany



Classical
Stechert
11-3-49
68605

RICCARDO FOERSTER
S.

CONSPECTUS LIBELLI.

A. De fabulis quae ad Pegasi ortum pertinent . . .	p. 1— 44
I. De Pegasi parentibus	„ 1— 9
II. De ipso Pegasi ortu	„ 9— 35
a. de memoria litteris servata	„ 9— 15
b. de memoria monumentis servata	„ 15— 23
c. de Perseo a prima ortus fabula alieno	„ 23— 26
d. de Chrysaore a prima ortus fabula alieno	„ 26— 28
e. de patria fabulae	„ 28— 35
III. De Perseo Pegaso vecto	„ 35— 44
B. De fabulis quae ad Pegasum cum Bellerophonte conexum pertinent	„ 44— 92
I. De Pegaso a Bellerophonte domito	„ 44— 56
II. De ceteris fabulis in Graecia ipsa collocatis	„ 56— 57
III. De regione in qua Pegasi Bellerophontisque coniunctio orta est	„ 57— 59
IV. De Chimaera a Bellerophonte et Pegaso superata	„ 59— 67
V. De Bellerophonte a Pegaso sublato et deiecto	„ 67— 76
VI. De Pegasi fortuna Bellerophontis exitium secuta	„ 76— 87
a. de Pegaso Iovis ministro	„ 76— 82
b. de Pegaso Aurorae ministro	„ 82— 86
c. de Pegaso inter sidera constituto	„ 86— 87
VII. De Pegaso cum Tarsi nomine conexo	„ 87— 90
VIII. De ceteris fabulis in Asia collocatis	„ 90— 92
C. De fabulis in quibus Pegasus fontium auctor fertur	„ 92—137
I. De Pegaso cum Hippucrene Heliconia conexo	„ 92—113
II. De Pegaso cum Aganippe conexo	„ 113—118
III. De Pegaso cum Castalia conexo	„ 118—120
IV. De Pegaso cum Pirene conexo	„ 120—126

V. De Pegaso cum Hippucrene Troezenia conexo . . .	p.	126
VI. De fabulis e Pegasi fontiumque conexu ortis . . .	„	126—131
VII. De Pegaso a fontium origine initio alieno . . .	„	131—136
D. De alis Pegaso tributis	„	137—148
E. De Pegasi nomine	„	148—152
F. De fabulae explicatione	„	152—162

Fabulae quae de Pegaso feruntur, a duobus viris doctis diligenter quidem tractatae sunt: Lenzio¹⁾ et Krahnro²⁾; sed eorum dissertationes quamquam omni laude dignae sunt, tamen ob eam maxime causam obsoleverunt, quod tempore progrediente materia argumenti multum aucta est. Praeter hos nonnulli viri docti occasione data de hac vel illa fabula verba fecerunt, sed propter hanc ipsam rem, quod non universas respexerunt, haud raro in errores inducti sunt. Quae cum ita essent, continuam fabularum memoriam recolere non inutile videbatur.

Hanc autem disserendi viam inibimus, ut primum de fabulis quae cum Pegasi ortu cohaerent, deinde de Pegaso cum Bellerophonte coniuncto, tum de Pegasi fontiumque conexu dicamus. Perlustratis autem singulis fabulis de alio Pegaso attributis, de nomine eius, de fabulae explicationibus verba faciemus.

A.

De fabulis quae ad Pegasi ortum pertinent.

I. De Pegasi parentibus.

1. Pegasus Neptuni et Medusae filium esse omnibus uno excepto locis traditum est. Uno autem loco quo alia Pegasi genealogia invenitur, Pegasis quaedam eum peperisse dicitur. Qui exstat apud Verrium Flaccum: *hippius, i. e. equester Neptunus dictus est, vel vel quod Pegasus ex eo et Pegaside natus sit* (Paulus Fest. s. v. *hippius* p. 101, 11 Mueller). Quod e Graeco fonte repetitum esse vox ipsa *hippius* demonstrat. Cum autem Pegasidi voci notio et

¹⁾ Über die Fabel des Pegasus, Neuer teutscher Merkur (1796) II p. 263 sq.

²⁾ Ersch und Gruber, Allgemeine Encyclop. der Wissensch. und Künste s. v. Pegasus p. 455 sq. (1840).

nymphae et Musae subsit, quaerendum est, utra in hac genealogia statuenda sit. Ac nymphae notionem habet vox loco Quinti Smyrnaei (III 300/1):

Ἀτύμιος] ὃν ποτε νόμφη

Πηγάσις ἠΰκομος σθεναρῶ τέκεν Ἡμαθίωνι.

Et nympharum generis significatio voci inest apud Ovidium (Heroid. V 3):

Pegasis Oenone, Phrygiis celeberrima silvis,
quae v. 10, 11 etc. nympha vocatur, et apud Columellam (X 263):

nunc vos, Pegasidum comites, Acheloidas oro.

Musae vero his locis intellegendae sunt:

pauca mihi doctae dicite Pegasides

(„Vergil.“ catal. XI 2);

mollia Pegasides date vestro sarta poetae

(Propert. III 1, 19);

at mihi Pegasides blandissima carmina dictant

(„Ovid.“ Heroid. XV 27);

Pegasides Musae dictae sunt a fonte quem Pegasus ictu ungulae fingitur aperuisse (Verr. Flacc. apud Paul. Festi s. v. Pegasides, p. 212, 9/10 Mueller). Sed in hac genealogia Musam non significari documento est, quod Neptuni in nymphas amores plurimi, in Musas nulli traduntur. Sed etiam aliam rem, quamquam postea demum argumentis stabilietur, iam nunc ut fulcrum huius opinionis proferre licebit. Pegasus enim etsi inde ab Alexandrina aetate Hippucrenes auctor fertur, tamen nisi infimis temporibus ac rarissime angustius cum Musis non conexus est. Origine autem a Musa ducta vix artius vinculum cogitari posset. Contra nymphae prioribus iam temporibus cum Pegaso coniunguntur.

Neque ne nympha agnoscat, alter Verri Flacci locus obstat, ex quo Pegasides Musae dictae sunt a fonte Pegasi ungula producto. Ambo sane loci una cum aliis glossis quae et ipsae ad deorum cognomina spectant, ad eundem fontem redeunt¹⁾. Nec vero hac e re quicquam concludi

¹⁾ Cf. H. Willers, de Verrio Flacco glossarum interprete (1898) p. 26 sq., qui Verrium Flaccum e Cornificii libris quos de etymis deorum composuit, hausisse conicit.

posset nisi auctori a Verrio Flacco excerpto Pegasi matrem nympham visam esse. At recte eum iudicavisse minime colligere licet.

Ea autem quae est de Pegaside genealogia certo inde fluxit, quod post aetatem quae dicitur Alexandrinam fabula divulgata est Pegasus fontium quorundam auctorem fuisse. Quibus cum fabulis Gorgo male, nympa optime conveniebat¹⁾. Quae quidem Pegasis nominata est, ut etiam nomen stirpis explicaretur.

2. Neque tamen nudam genealogiam, verum etiam plura de Medusae compressu accepimus.

Iam Hesiodus humanam speciem matris Pegaseae animo concepit, non diserte quidem, sed in enumeranda Phorcycos Cetusque prole (Theog. 270 sq.) ea ratione usus, ut a stirpe humana, Graeis (v. 270—273) et Gorgonibus, orsus ad ambiguas hominum et beluarum formas, Geryonem et Echidnam, progredieretur, quibus ferina corpora, Orthrum, Cerberum, Hydram, Chimaeram, Sphingem, leonem Nemeaeum draconemque mala aurea custodientem subiunxit. Atque etiam ceteris litterarum testimoniis Medusae nulla nisi humana species tribuitur. Atque Aristoteles (frg. 172 Rose ed. Teubner.) id ipsum miratus est, quod e coniugio numinum duorum quae utraque humana specie praedita fuerint, equus prodierit.

Neque minus artis opera humanam Gorgonis formam ostendunt. Sed unum idque gravissimum exceptum est. Atque hoc simul cum aliis quibusdam indiciis verisimile reddi potest in prima fabulae forma Pegasi matrem hominis habitu non indutam fuisse.

Illud autem opus anaglyphum amphorae musei Lupo-rensensis est²⁾ ante hos tres annos prope Thebas inventae, quae VII a. Chr. saeculo attribuenda erit³⁾. In quo Perseus Medusae caput ense abscisurus est. Hoc sane et reliqua corporis superioris pars humana specie induta est. Equinum autem corpus Centaurorum instar additum est. Atque eadem

¹⁾ Cf. Cornut. theol. Graec. compend. c. 22, qui relationem quae inter Neptunum et nymphas Pegasusque est, indicat.

²⁾ C. A. 795; ed. de Ridder, Bull. de corresp. hellén. XXI (1898) pl. IV—V; cf. ibid. p. 448 sq.

³⁾ ibid. p. 455.

phora Boeotica fictae humana specie est. Attamen ipsa e similitudine ceterarum fabularum pro certo affirmare licet primo etiam Pegasi matrem integro equi corpore instructam fuisse. Quamquam vereor, ne cui haud probabile videatur, cum Persei capite humano potiri intersit. Hoc autem ipso absciso Pegasus natus esse fertur. At infra argumentis comprobabimus Perseum primo cum origine Pegasi omnino non coniunctum fuisse.

Atque etiam aliud indicio est Pegasi matrem integro equae corpore indutam fuisse. Sunt enim nonnulla monumenta iam a Milchhofer collecta, in quibus Medusa, cuius e collo persecto Pegasi caput eminet, speciem trunci capite equino praediti praebet¹⁾. Infra de iis accuratius agetur. Atque his patera Rhodia figuris nigris ornata²⁾ et amphora musei Neapolitani figuris rubris picta³⁾ addendae sunt. Atque Milchhofer, quocum consentiunt C. Smith et de Ridder⁴⁾, illis quidem monumentis memoriam manifestam contineri putat pristinae Gorgonis capite equino praeditae. Etsi haec sententia probari non potest — nam obstat nunc anaglyphum amphorae Boeoticae — tamen haec monumenta conferunt ad id quod posuimus stabiliendum Gorgonem inde ab initio integro corpore equino praeditam fuisse.

3. Nec vero minus censendum est etiam patrem Pegasi primo equinum fictum fuisse. Cui rei sane non illud documento est, quod Medusae coniux ab Hesiodo simpliciter *καυνοχάτης* nominatus est (Theog. 278). Quod cognomen Neptuni aequae atque *ἑπιον* a pristina specie equina repetitum esse concedo⁵⁾. Ut etiam Odhini cognomen Hrossharsgrani a pristina specie equina ductum esse putatur⁶⁾. Sed tamen certo aetate satis antiqua ille vocis *καυνοχάτου* sensus iam non perspectus est, ut dubium sit, utrum illo Theogoniae loco

¹⁾ Anfaenge p. 62; cf. O. Rossbach, Arch. Ztg. XLI (1883), p. 173—78; E. Knoll, l. c. p. 11 sq.

²⁾ Ed. C. Smith, Journ. of hell. stud. V (1884) tab. 43.

³⁾ Heydemann nr. 1767; Museo Borbonico XIII tab. 59.

⁴⁾ Ibid. p. 239; — Bull. de corr. hellén. XXI (1898) p. 455.

⁵⁾ Furtwaengler, Athen. Mitt. VII (1882) p. 165 sq; v. Wilamowitz, Griech. Trag. II p. 227 n. 1.

⁶⁾ M. Jaehns, Ross und Reiter (1872) I p. 292; 347/48.

Hesiodeae pristina vocis vis subsit. Sed et e similibus quas supra enumeravimus fabulis, et ex equina specie matris filiique pro certo affirmare licet etiam patrem Pegasi equino corpore praeditum fuisse, praesertim cum ipse artissime cum equis cohaereat.

Quamquam Ovidii quodam loco patris Pegasi alius habitus esse videtur. In tela enim Arachnes, in qua cum alii amores tum Neptuni et Medusae ficti erant, Neptunus quidem avis specie indutus Medusam compressisse dicitur (Met VI 119/20): *Te* (scil. Neptune)

sensit volucrem crinita colubris

mater equi volucris.

Ex hoc uno sane loco ad Arionis ortum temere relato Tuempel collegit Adrasti equum alitem fuisse¹⁾. Atque etiam alibi pinnis praeditus esse falso dicitur²⁾. Nec vero ullus locus est qui documento sit. Alatum enim equum Etrusci cuiusdam speculi³⁾, supra quem nomen Arionis scriptum est, Pegasus potius habendum esse omnes consentiunt. Rursus in alio speculo Etrusco⁴⁾ ligneus Epei equus quamquam alis caret. *Pecse* = Pegasus nominatur. Aversa vero in parte complurium quarti a. Chr. saeculi nummum Thelpusae, qua in urbe fabula Arionis familiaris erat, equus alis carens occurrit. Quem Adrasti equum esse 'Επίων inscriptio firmissimo argumento est⁵⁾. Ad Arionem vero verba potius quae locum illum Ovidii praecedunt, referenda sunt:

*et te, flava comas frugum mitissima mater,
sensit equum.*

Iam ut ad locum Ovidii de quo agimus, redeamus, Diltheius quidem arbitratur eo memoriam pristinae Neptuni formae servatam esse, qui antequam terrestrium aquarum dominus factus sit, caeli aeribus praefuerit⁶⁾. At Neptunum olim quod-

¹⁾ Tuempel, in Paul-Wiss. s. v. Arion II p. 622.

²⁾ Preller-Rob, Griech. Myth. I p. 590; Overbeck, Kunstmyth. III p. 384; Milchhoefer, Anfaenge p. 70.

³⁾ Ed. Gerhard, Etrusk. Spiegel IV 333; Mon. dell' Inst. VI tab. 29; cf. R. Peter in Rosch. M. L. s. v. Melerpanta II 2622 sq.

⁴⁾ Gerhard, II 232, 2.

⁵⁾ Cf. Head, N. H. p. 381/382.

⁶⁾ Annal. dell' Inst. XXXXIII (1871) p. 215.

dam caeleste regnum obtinuisse uno e tridente conicitur. Hunc tamen non ad fulmen, sed ad hamatum piscatorum iaculum referendum esse iure nunc ab omnibus statuitur. Praeterea et in sacris et in fabulis cum equo tauroque arte cohaeret, nunquam cum ave quadam coniunctus est. Quare Dilthei opinioni nihil favere videmus. Neque magis Medusa causa esse potuit, cur Neptunus in avem converteretur. Loco igitur illo Ovidii vetustissimam fabulam contineri negandum est. Avis autem species eo consilio Neptuno indita esse mihi videtur, ut alae Pegasi propriae explicarentur. Quod nescio an Ovidius ipse voce *volucris* et patri et filio tributa significare voluerit. Nec vero quanam avis Neptunus fuerit, accepimus. Qua quidem re item comprobari mihi videtur fabellam illam eo tantum consilio fictam fuisse, ut ipsae pennae Pegaso attributae explicarentur. Fabulas autem quibus cum aliae tum beluarum proprietates explicantur, Alexandrina potissimum aetate compositas esse constat¹⁾.

Atque Pegasus ipse simili usui fuit. Nam in schol. B (L) ad Il. I 266 singularis haec fabula affertur: οἱ δὲ Κένταυροι κατὰ μὲν τοὺς ποιητὰς λέγονται Ἰξίονος καὶ Νεφέλης· τινὲς δὲ δουλίδι²⁾ Ἰξίονα μιγῆναι, ἅμα δὲ καὶ Πήγασον τὸν πτερωτὸν κατὰ τὴν αὐτὴν νύκτα, ἐξ ὧν γενέσθαι Κένταυρον, ἀφ' οὗ πολὺ πλῆθος γίνεται. Quam fabulam non esse vetustissimam per se apparet³⁾. Nec vero existimo eam cum monumentis Assyriis et Etruscis cohaerere, in quibus Centauri alati occurrunt⁴⁾. Locus enim ille sine dubio communem Centaurorum speciem spectat (πολὺ πλῆθος). Immo Pegasus omnino non alas, quae nonnunquam Centauris tribuuntur, sed equinam corporis partem explicare videtur. Ipse autem Pegasus pater eorum delectus est, quia inter equos fabulosos omnium notissimus erat.

Iam e variis litterarum artisque monumentis primae fabulae forma enucleata est Neptunum et Medusam equina specie indutos se miscuisse.

De loco vero quo Neptunus Medusam compressisse fertur,

¹⁾ E. Rohde, Griech. Roman² p. 98.

²⁾ Δία potius scribendum esse Tuempel non sine causa conicit Rosch. M. L. s. v. Centaur. II 1034.

³⁾ Cf. Weizsäcker in Rosch. M L. s. v. Ixion II p. 768.

⁴⁾ Roscher in M. L. II p. 1033 n. 2.

illic demum, ubi de regione, in qua Medusa caesa et Pegasus natus esse fertur, disserendum erit. Illa enim uno eodemque loco facta esse traduntur.

II. De ipso Pegasi ortu.

Nunc quoniam de Medusa a Neptuno compressa diximus, de ipso Pegasi ortu disserendum est. Ac primum litterarum testimonia tractentur.

a. De memoria litteris servata.

1. Horum veterrimum duo Hesiodicae Theogoniae versus (v. 280/81) sunt:

τῆς (scil. Μεδοῦσης) δ' ὄτε δὴ Περσεὺς κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησεν,
ἔκθορε Χρυσάωρ τε μέγας καὶ Πήγασος ἵππος,

quos aliquid obscuritatis habere iam M. Haupt recte animadvertit.¹⁾ De communi ortus modo sane non erit cogitandum. Cui etsi ἔκθορε vox in communi quoque ortu usurpata (cf. Hom. h. in Apoll. v. 119) non repugnat, tamen aoristus ἀπεδειροτόμησεν mirabili originis generi patrociniatur. Neque enim cum Perseus Medusam capite privabat, sed cum privavisset, Chrysaor et Pegasus prosiluerunt. Quare iam vides caput decisum pro nascendi condicione haberi. Tum vero ne unum quidem artis litterarumve testimonium exstat, quod communi nascendi modo faveat. Nisi forte duos exeuntis antiquitatis locos afferes: Serv. Dan. ad Verg. Aen. II 616 et „Lactant.“ narrat. fabul. IV, 7, quibus nihil auctoritatis tribuendum esse infra videbimus.

Sed licet mirus Pegasi ortus omnino huic loco conveniat, quaestio existit, quinam modus ipse fuerit. Et cum Hesiodus verbis parum perspicuis usus sit, diversae interpretationes prolatae sunt. Ut a vetere schol. ad Pind. Ol. XIII 63 (89) dicitur: ὅτι δὲ τῆς Γοργόνης ἀποτμηθείσης τὴν κεφαλὴν ὑπὸ τοῦ Περσεύως ἀνεδόθη ὁ Πήγασος ἵππος, καὶ Ἡσίοδος μαρτυρεῖ: τῆς ὄτε δὴ Quo loco ortum talem intellectum esse

¹⁾ Ad Ovid. Met. IV 785 sq.

apparet, ut Pegasus e collo cum trunco corpore conexo prodierit. Aliter verba scholiasta ad Nicandr. Alexiph. 100 interpretatus est, qui ad versum:

Περσεὺς αὐχέν' ἀποτμήξας ἄρπη γονόντα Μεδούσης

adnotavit: ἐπειδὴ δ αὐχὴν τῆς Μεδούσης Γοργόνος ἀποτμηθεὶς ἐγέννησε τὸν Χρυσάορα καὶ τὸν Πήγασον ἵππον, ὡς Ἡσίοδος· ἐκ γὰρ Pegasus autem et Chrysaorem ex collo una cum capite absciso prodire schol. sine dubio ex ipsis Nicandri verbis collegit. Haec tamen ita interpretari nihil cogimur. Neque enim verba αὐχέν' ἀποτμήξας active posita magis quam Germanicae linguae locutio „Hals abschneiden“ significant collum una cum capite a trunco discissum esse. Nicandrum autem ipsum de ortu e trunco corpore facto cogitasse verisimile est. Hoc tamen gravissimum est e scholiastae sententia ab Hesiodi verbis non abhorreere Pegasus e collo una cum capite absciso editum esse. Nec re vera Theogoniae versus cogunt, ut ortum de trunco Gorgonis factum fingamus. Immo etiam cum Pegaso ex absciso capite nato conveniunt. Qui nascendi modus etiam a Sexto Empirico profertur: τὸν δὲ Πήγασον λαμοτομηθείσης τῆς Γοργόνος ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐκθορεῖν (adv. mathem. 264). Quae verba non fabulam singularem, sed Hesiodi interpretationem complecti videntur. Sextus enim eodem atque Hesiodus verbo ἐκθορεῖν utitur, et ipsa Hesiodi verba: κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησεν, ἐκθορε (Theog. 280/281) illam interpretationem subiciebant. Quam ab Hesiodi verbis non alienam esse etiam hac quidem aetate Hillebrandtius putavit¹⁾. Scholiasta autem ad Dion. Perieg. 870 utrum ortum e capite an e trunco factum animo finxerit, dubium est. Dicit enim: Ἀθηνᾶ] ἐποίησεν αὐτὸν (scil. Περσέα) ἀποτεμεῖν τὴν αὐτῆς κεφαλὴν, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ αἵματος αὐτῆς (Γοργόνος αὐτ κεφαλῆς?) ὁ Πήγασος.

Aliud tamen quod scholiasta ad illum Nicandri versum attulit, certe ab Hesiodo abhorret. Verbis enim quae supra laudavimus, haec subicit: ἐκ γὰρ τοῦ αἵματος οὗτοι ἐγένοντο. Verba ἐκ τοῦ αἵματος non ut aliis, poetarum

¹⁾ Commentat. Ribbeckian. (1888) p. 242.

praecipue, locis (cf. Eurip. Orest. 194: τέκνα σέθεν ἀφ' αἵματος scil. Clytaemestrae) copiosa significatio simplicis pronominis ἐξ ἀοτῆς esse possunt. Quod si ita esset, verba illa prorsus inania essent. Neque locutioni illi eadem sententia inesse potest atque in schol. ad. Dion. Perieg. 870 allato, ubi Pegasus et Chrysaorem ἐκ τοῦ αἵματος ἐξελαθεῖν dictum est. Tum enim scholiasta non verba ὁ ἀόχην ἀποτμηθεὶς ἐγέννησεν, id quod vult, explicaret, sed singulare ortus momentum adderet. Praeterea vis quae voci γίγνεσθαι inest, illi sententiae repugnaret. Immo hoc modo dictum esse potest Chrysaorem et Pegasus e Medusaeo cruore non secus ac Gigantes ex Urani sanguine ortos esse. Hoc tamen Hesiodi verbis significari manifestus scholiastae error est. Primum enim Hesiodus versibus antecedentibus (Theog. 278/79) Medusam a Neptuno compressam esse profert, Gigantes autem uno ab Urani sanguine orti sunt. Tum scholiastae sententia voce ἐκδορεῖν refutatur. Neque enim Pegasus et Chrysaor omnino post caedem a Perseo factam demum oriebantur, sed antea orti corpore matris ad illud temporis inclusi erant. Propriam autem fabulam scholiastae verbis contineri negare licet. Iam enim supra vidimus scholiastam Nicandri verba ita intellexisse, ut putaret eum Pegasi originem e collo absciso factam significare. Atqui de sanguine qui a desecto Medusae capite destillabat, serpentium genus ortum esse constat. Qui nascendi modus in Pegasus et Chrysaorem, quos scholiasta et ipsos e Gorgoneo collo prodiisse existimat, translatus esse videtur.

Atque ab hoc ortus modo Hesiodi verba abhorreere comprobavimus. Ad diiudicandam autem quaestionem, utrum Hesiodus ortum e collo an e capite factum intellexerit, verba eius parum dilucida esse diximus. Quamquam mentio compressae a Neptuno Medusae magis origini e trunco factae arridet. Atque hunc ortus modum omnia artis monumenta testantur. Quod maximi momenti est. Neque enim artis opera ad Hesiodum redire infra comprobabimus. Atque etiam plurima litterarum testimonia ortum e trunco factum praebent. Unde hunc etiam iis locis quibus diversa fabula non diserte affertur, cogitatum esse colligere licet.

2. Perspicuis autem verbis ille nascendi modus his qui-

dem locis indicatur: Strabonis VIII 379 πτηνὸν ἵππον ἐκ τοῦ τραχήλου τοῦ Μεδούσης ἀναπαλέντα κατὰ τὴν Γοργοτομίαν; „Apollodori“ biblioth. II 4, 2, 9 ἀποτηθηθείσης δὲ τῆς κεφαλῆς ἐκ τῆς Γοργόνος ἐξέθορε (cf. Hes. Theog. 281) Πήγασος πτηνὸς ἵππος καὶ Χρυσάωρ, ὁ Γηρυόνου πατήρ (Hes. Theog. 287), τούτους δὲ ἐγέννησεν ἐκ Ποσειδῶνος. Qui locus versuum Hesiodeorum explicatio esse videtur. Atque hanc omnino bibliothecae „Apollodoreae“ rationem esse constat. Dilucida quoque sunt quae a Tatiano ad Graecos 11 proferuntur: τὴν Γοργοῦς κατατομίαν, τῆς Ποσειδῶνος ἐρωμένης, ἀφ’ ἧς Πήγασος ὁ ἵππος καὶ Χρυσάωρ ἀνέθορε. Schol. Pind. Ol. XIII 63 iam supra (p. 9) laudatum est. Addantur quidam loci quibus Nonnus haud ita eleganter de Pegasi ortu dicit:

ἦς ἔτι κυμαίνουσα γοναῖς ἐθλίβετο γαστήρ
 Πήγασον ὠδίνουσα, καὶ ἔγκυον ἀνθρεῶνα
 Γοργόνος Εἰλειθυια μογοστόκος ἔθρισεν ἄρπη
 αὐχένος ἵπποτόκιο θαλύσιον

(Dionys. XXV 39 sq.); quibus similia sunt verba loci alterius:

Γοργόνος ὠδίνοντα διέθρισεν ἀνθρεῶνα,
 καὶ δρεπάνην φοίνιξε, δαίζομένης δὲ Μεδούσης
 αἰμοβαφῆ παλάμην ὀφιδεῖ λούσεν ἐέρση
 κρᾶτα ταμών· χρυσέω δὲ σὺν ἄορι παῖδα λοχεύων (cf. Hes.

Theog. 283)

ἰπτεῖν ἐτόκευσε γονὴν διδυμητόκος αὐχὴν

(Dionys. XXXI 19 sq.)¹⁾. Denique Tzetzae locus adiciatur: κατατομῆι δὲ (scil. Περσεὺς) τὴν Μέδουσαν, ἐκ τοῦ τραχήλου δὲ ταύτης ὁ τε Πήγασος οὗτος ἵππος ἐξέθορε, ὑπόπτερος ὢν καὶ ὁ Χρυσάωρ, ἄνθρωπος χρυσοῦν ἄορ κρατῶν (Hes. Theog. 283). Atque paulo post τῇ δὲ κατατομίᾳ ἐκείνης ἐκ τοῦ τραχήλου ὄρμα Χρυσάωρ καὶ Πήγασος (ad Lycophr. Alex. 17).

Nec vero eadem sunt perspicuitate loci qui sequuntur: Lycophr. Alex. 842/43:

ἵπποβρότους ὠδῖνας οἷξαντος τόκων
 τῆς δευρόπαιδος μαρμαράπιδος γαλῆς;

Ovid. Fast. III 450 sq.:

¹⁾ Nonnus plus semel ipse se exscribit.

*Creditur hic (Pegasus) caesae gravida cervice Medusae sanguine respersis prosiluisse iubis*¹⁾;

Heraclit. (de incredibilibus 1) Περσέως ἀποτέμοντος ἀπὸ τῆς τὴν κεφαλὴν ἐξεληθεῖν ἵππον πτερωτόν; schol. ABRad II. VI 155, quo loco Pegasi nomen sic enodatur: διὰ γὰρ τοῦτο ἔσχε τὸ ὄνομα, ὅτι ἐκπεπηδήκει τοῦ τῆς Γοργόνης τραχήλου²⁾).

3. Iam de locutione Ovidii *matris*, scil. Medusae, vel *materno de sanguine natus* disserendum est: loco Metamorphoseon (IV 785/86) Perseus cum alias res se gessisse narrat tum

eripuisse caput collo pennisque fugacem

*Pegason et fratrem matris de sanguine natos*³⁾.

Altero loco (Met. V 259) Minerva Perseum comitata his verbis utitur:

Vidi ipsum materno sanguine nasci.

Atque eadem locutio his quoque locis quos ad Ovidium redire elucet, occurrit: schol. ad Iuvenal. III 118, *quod de sanguine Medusae natus sit Pegasus*; Fulgent. Myth. I 21 *de sanguine eius nasci fertur Pegasus*, ibid. III 1 *de sanguine id est de morte Gorgonae Pegasus*; e Fulgentio autem in non-nullo Myth Vat. I et II locos fluxit⁴⁾.

Cuius locutionis quae significatio sit, existit quaestio. Atque ab Ovidio etiam in Gigantibus adhibetur uno ex Urani sanguine ortis: *scires e sanguine natos* (Met. I 162); et in flore ex Adonidis sanguine genito: *flos de sanguine concolor ortus* (Met. X 735). Illo loco usus est „Lactantius“ (narrat. fabul. I 6): *de Gigantum sanguine nati quam sacrilega mente versati sint*⁵⁾. Alibi vero verbis illis communis

¹⁾ Hunc locum certo Sidon. Apollin. c. XIV, 9 respicit: Pegasus] *cognato madidus iubam veneno*. Quem etiam alibi Ovidium imitari constat; cf. Geisler in edit. Luetjohanni p. 349 sq; Manitius, Philol. Suppl. VII p. 727.

²⁾ Hoc nominis veriloquium alibi quoque traditur.

³⁾ Natos scil. esse. Merkelium recte interpunxisse apparet. Contra A. Riese et O. Korn verba *pennisque . . . natos* coniungenda esse putant cum versu insequenti: *addidit et longi non falsa pericula cursus*. Nec verò cum his reductis periculis Pegasi Chrysaorisque ortus quicquam cohaeret, sed cum caede Gorgonis, quam Perseus copiosius ante persecutus est.

⁴⁾ Myth. Vat. II 113 pro (*de cuius*) *semine* certo *sanguine* scribendum est.

⁵⁾ Ipsa Ovidii locutio e Graeco translata esse videtur; cf. Nicand. Ther. 8: ἄλλ' ἤτοι κακοεργὰ φαλάγγια. . . . Τιτῆνων ἐπέπουςιν ἀφ' αἵματος.

liberorum e parentibus ortus significatur, ut idem ac simplex nomen notent, ut his: *nostro* (scil. Solis) *genitum de sanguine* (scil. Phaetontem) (Met. II 90); *sanguine natus eodem quo . . .* (Ib. 471/72); *nullus de nostro sanguine miles erit* (Prop. II 7, 14). Tertia illius locutionis notio, quae tamen ad hanc quaestionem non pertinet, haec est, ut genus, ex quo quis natus est, indicet (cf. Ov. Met. XV 447; Fast. III 73; Heroid XVI 191). Iam quaenam priorum significationum in illos de quibus quaeritur Ovidii locos cadat, accuratius examinemus. Hub. Schmidt eandem ac Gigantum originem intellegendam esse putat¹⁾. Qui originis modus sane apud scholiastam Nicandri de quo supra diximus, occurrit. Nec tamen unicus ille locus propriam fabulae formam complectitur (cf. p. 10/11) Contra communi fabula de ortu uno a sanguine Gorgonis facto nihil traditur, sed Neptunus pater Pegasi nominatur. Atque vulgarem fabulam etiam Ovidio obversatam esse ex eo apparet, quod et uno et altero loco Gorgo *mater* appellatur. Neque erat, quod fabulam a ceteris discrepantem atque duobus tantum versibus afferret. Quare illic verbis *matris de sanguine* simplex nomen significari videmus.

Num vero hinc colligendum est Ovidium communem Pegasi ortum animo finxisse? Quae sane „Lactantii“ (narrat. fab. IV 7) opinio est, qui Ovidii narrationem soluta oratione interpretatus haec dicit: *utero autem Medusae huius equus Pegasus cum pennis exit*. Unde Mythogr. Vat. II 112 sua sumpsit. Nec vero haec interpretatio probanda est. Neque enim ex Ovidii verbis communem nascendi modum magis colligere licet quam ex his quos e. g. ponimus locis: *ὄϊον Πορρόνοϛ Πάγασον* (Pind. Ol. XIII 63); *ex Medusa et Neptuno nati sunt Chrysaor et equus Pegasus* (Hyg. fab. 151). Neque voluit de ortu proprietate Ovidius quicquam proferre. Quem collo Gorgonis desecto factum esse ipse quoque dicit (Met. IV 785).

4. Uno autem ex omnibus veterum testimoniis dictum est Pegasi ortum non solum communi modo factum, sed

¹⁾ Observationes archaeologicae in carmina Hesiodae; dissertat. philolog. Halenses XII (1891) p. 143 n. 8.

etiam cum Gorgonis caede nihil coniunctum fuisse. Nam apud Serv. Dan. ad Verg. Aen. II 616 hoc traditur: Medusa] compressa a Neptuneo Pegasus equum dicitur edidisse; quod posteaquam Minerva cognovit, eius caput dicitur amputasse et suo adfixisse pectori eique tribuisse vim, ut quidquid vidisset mutaret in saxum. Quam recentiore esse nullius auctoritatis fabulam atque e confusione quadam ortam in promptu est. Euripides enim tradit Gorgonem a Minerva caesam esse¹⁾. Secundum vulgarem autem fabulam Medusa e Neptuneo Pegasus genuit. Quae fabulae confusae sunt.

Atque haec quidem de litterarum testimoniis. Nunc artis monumenta consideremus.

b. De memoria monumentis servata.

Cur ea non una cum illis persecuti simus, causa est, quod partim aliam atque Hesiodicam fabulae formam praebent, partim eandem secuta tamen non ad Hesiodum revocanda sunt. Fabula autem quae de Perseo et Medusa fertur, iam antiquissimis temporibus a Graecorum artificibus expressa est. Quamquam in magna parte operum quae Medusam interfectam et Perseum fugientem repraesentant, Pegasus et Chrysaor desunt. Cuius rei causa est, quod ortus illorum mirus ad ipsum Persei facinus nullius momenti est. Atque artis monumenta e litteris modo nota²⁾ quoniam nullam de ortu mentionem faciunt, praetermittenda sunt.

Sed Pegasus et Chrysaor haud paucis in monumentis servatis adsunt. Quae in duas partes dividuntur, quarum altera unum Pegasus, altera etiam Chrysaorem praebet.

1. Ac primum illa consideremus. Quorum³⁾ aetate primum ectypum notum templi Selinuntii C est⁴⁾, quod paulo post urbem hanc conditam (628) aedificatum esse constat.

¹⁾ Ion. 988 sq.; quem secuti sunt Euhemerus apud Hyg. astr. II 12; „Apollod.“ bibl. II 4, 3; unde Minerva Γοργοφόρος appellatur: Ion. v. 1478; Orph. h. 32, 8 H.

²⁾ Congessit ea F. Knatz in dissertatione saepius afferenda, quae inscribitur: Quomodo Persei fabulam artifices Graeci et Romani tractaverint (1893) p. 13; p. 17.

³⁾ Milchhoefer, Anfaenge p. 61 n. 2 per errorem dicit etiam Chrysaorem humana specie formatum adesse.

⁴⁾ Benndorf, Metopen von Selinunt t. 1.

Nec vero ortus ipse expressus est. Perseus enim Gorgonis caput demum desecaturus est. Sed tamen ex artis vetustioris consuetudine Pegasus alatus Medusae brachiis comprehensus anticipatione additus est. Ab iis autem qui Pegasus e corpore Medusae modo prosiluisse putant¹⁾, dissentendum est, cum Perseus caput demum abscisurus sit. Atque etiam eorum opinio omni ansa caret, qui communem Pegasi ortum expressum esse existimant²⁾. Quem una Lactantii qui vocatur, interpretatione praeberi vidimus (cf. p. 14). Atque illi nimium vetustiorum artificum consuetudinis immemores sunt, qui neglecto poesis artisque fingendi termino non unum momentum expressisse satis habent, sed etiam quod antecessit vel quod sequetur significant.

Ipsam vero nascendi momentum his in monumentis representatum est. In patera Rhodia mus. Brit. nigris figuris picta³⁾ Medusa quae quattuor alis praedita et tunica brevi vestita est, capite desecto in genu procubuit, e collo caput equinum eminet; Perseum aufugientem duae Gorgonis sorores persequuntur; Mercurius et Minerva, qui inter Perseum et duas Gorgones sunt, item aufugiunt. Persimilis pictura quae ipsa quoque figuris nigris multo tamen neglegentioribus ornata est, occurrit in patera Nolana mus. Berolinensis⁴⁾. Medusa capite privata manibus protentis procubuit, e collo cui aliter atque in priore vase rivuli sanguinis effluunt, caput equinum emergit. Quas pateras inter se persimiles conexu quodam cohaerere in aperto est. Ac Knatzius⁵⁾ recte iudicasse mihi videtur artificem paterae neglegentioris, qui ceterum aequandi et contrahendi studium ostendat, picturam priori vasi simillimam cum ea confudisse, in qua Medusae collum sanguine respersum fuerit. Qui quidem cruoris rivuli plus semel inveniuntur. Utramque autem pateram ab artificibus Atticis factam esse Furtwaengler dicit⁶⁾. Atque C. Smith

¹⁾ Cf. Gaedechens in Ersch. et Grub. Encycl. s. v. Gorgo p. 412 n. 34.

²⁾ Duc de Luynes, Etudes numismat. p. 97 sq; Knatz ibid. p. 48, 49.

³⁾ Ed. C. Smith, Journ. of hellen. stud. V (1884) tab. 43.

⁴⁾ Furtwaengler, Catal. No. 1753; ed. Gerhard, Trinkschalen II, III; Mueller-Wieseler, DAK II 71, 897.

⁵⁾ p. 48 n. 2.

⁶⁾ Furtwaengler in Rosch. M. L. s. v. Gorgo, I 1709.

Nicosthenis aetate illas picturas factas esse opinatur¹⁾. Sed in errore versari videtur. Utrumque enim opus maiorem antiquitatem redolet, ut iure VI saeculo tribuatur²⁾.

Iam vero quod Medusa speciem monstri ferino capite instructi praebet, diversae virorum doctorum explicationes prolatae sunt. Quam proprietatem casu accidisse neque ullius momenti esse³⁾ haud vereor, ne credas. Welcker autem artificii in animo fuisse Pegasi ortum tegere et dissimulare putat⁴⁾. Wieseler de Medusae in Pegasus conversione cogitat⁵⁾. Hae tamen opiniones sine dubio etiam minus probari possunt. Knatzio singularis illa Medusae forma ad exemplar deorum orientalium capitibus ferinis praeditorum ficta esse videtur⁶⁾. Talia simulacra ut aliquantum valuerint, tamen gravissimum illud non explicatur, cur ortus Pegasi omnino significatus sit. Neque enim Pegasi originem ad ipsum Persei facinus quicquam pertinere argumentis infra evincemus. Ut autem Pegasi ortus significaretur, simulacra illa deorum orientalium in causa fuisse non possunt. Etenim in iis caput ferinum propria ipsius corporis pars est, ut de ortu non cogitandum sit. Praeterea dei orientales ipsorum equorum capitibus praediti non exstare videntur⁷⁾. Milchhoeferi sententia supra emendata (p. 6) explicationem praebere videtur. Propria enim illa Gorgonis forma speciei pristinae memoria contineri videtur. Etenim Pegasi matrem initio integro equae corpore instructam fuisse comprobavimus. Ubi autem memoria illa iam non intellegebatur, caput equinum non Gorgonis, sed Pegasi esse putabatur.

Iam reliqua monumenta tractare pergamus.

In amphora multifariam resarta musei Neapolitani, quae figuris rubris parum accuratis atque incultis picta est⁸⁾, Medusa

¹⁾ l. c. p. 239.

²⁾ Cf. Furtwaengler, Catal. ad nr. 1753; H. Schmidt l. c. p. 36/37; p. 154.

³⁾ Gaedechens, in Ersch. et Grub. Enc. s. v. Gorgo p. 413 n. 37.

⁴⁾ Alte Denkmäler III p. 211, 20.

⁵⁾ DAK II 71, 897.

⁶⁾ l. c. p. 48.

⁷⁾ Milchhoefer, Anfaenge p. 55/56.

⁸⁾ Heydemann, nr. 1767; ed. Mus. Borbonico XIII t. 57—59; cf. O. Jahn, Philol. XXVII (1868) p. 8; 29; Furtwaengler in Rosch. M. L. I. 1726.

capite absciso inter sorores duas Perseum fugientem persequentes in saxo sedet, e collo autem alati Pegasi¹⁾ caput emergit, quod item propria corporis pars esse videtur. Alae ceterum Pegaso²⁾ an Medusae³⁾ tribuendae sint, dubitare licet. Sane umeris Medusae adhaerent. Sed ut cum Pegasi capite coniungerentur, omnino fieri non potuit. Nihilominus huic eas tribuendas esse his argumentis probabile fit. Alae pro Gorgonis figura multo minores sunt, ad caput equinum perbene quadrant. Praeterea pinnae in altum sublatae sunt, quod cum Medusa interfecta non convenit, Pegaso subvolanti aptissimum est. Denique ne sorores quidem Gorgoneae alis praeditae sunt.

Operibus adhuc enumeratis addatur Etrusca cista.⁴⁾ Ex collo Medusae relapsae surgit caput Pegasi anguibus Gorgoneis circumcinctum; a parte dextra soror Medusae Perseum a Mercurio expectatum persequitur.

Imago autem maxime mira occurrit in cratera Nolana figuris rubris negligenter picta.⁵⁾ Perseus manu dextra falcem, sinistra cibis in gestans, e qua aequae atque in aliis monumentis crines Gorgonei prominent, appropinquat feminae tunica longa vestitae et manu sinistra coronam, dextra frondem portanti, quae capite cervino praedita est; a dextra parte in basi stat Victoriae figura alata coronam et vittam manibus tenens. Ac Gerhardus miram illam figuram Dianam-Hecaten esse iudicat, quae Perseum quodam modo ad solem referendum esse documento sit. Hermannus⁶⁾ caput equinum, cornua autem quae videntur, sanguinis prosilientis rivulos esse conicit. Quod ipsa pictura refutatur. Qua non minus Milchoeferi opinio repellitur, qui simplex equi caput agnoscendum esse putat.⁷⁾ Cookius denique una ansa quae Persei figura praebetur, neglecta Iphigeniam immolendam agnoscit, quae aut cervinam Dianae personam gerat aut in cervam con-

¹⁾ Non Chrysaoris, ut Heydemannus opinatur.

²⁾ Sic Heyd. l. c. et Knatz p. 21.

³⁾ Sic O. Jahn l. c. p. 8.

⁴⁾ Ed. Bencker, Roem. Mitt. VII (1882) p. 225.

⁵⁾ Ed. Gerhard, Auserl. Vas. 89; 1, 2.

⁶⁾ Perseus und Andromeda (1865) p. 5.

⁷⁾ Anfaenge p. 62 n. 1.

vertatur.¹⁾ Neque tamen ipse Perseus dubius est. Et cum e cibisi crines Medusaei emineant, caedem iam factam esse apparet. Monstruosa igitur femina illa Gorgo esse nequit. Cui rei etiam illud obstat, quod Perseus non caput reflectit, id quod contra Gorgonem semper facit. Denique quid frons coronaque manibus Gorgonis portatae sibi vellent? Quare picturam illam ad Pegasi ortum pertinere negandum est. Quamquam quae vera mirae figurae significatio sit, ne ego quidem eruere potui. Minus tamen ad fabulam alibi haud traditam quam ad arbitrium vel socordiam artificis revocanda esse videtur.²⁾

2. Haec quidem monumenta sunt, in quibus unius Pegasi ortus expressus est. Age vero ea perlustremus, in quibus et hic et Chrysaor adsunt.

Aequae autem atque in priore parte primum id opus afferendum est, in quo non ipsum ortus momentum repraesentatum est. Quod notissimum est musei Britannici anaglyphum Melium³⁾ priori saeculi V dimidio tribuendum.⁴⁾ Perseus manu sin. falcem, dextra Medusae caput portans vehitur equo alis carente; sub eo Medusa tunica longa vestita procubuit, cuius e collo nudus Chrysaor emergit. Equum autem Persei, quamquam alis caret, tamen Pegasus intellegendum esse firmis argumentis probari potest. Iamdudum enim constat huic anaglypho alterum Melium respondere, in quo Bellerophonites pari equo vectus contra Chimaeram pugnat⁵⁾ Quoniam hunc Bellerophonites equum omnes Pegasus agnoscunt, non est cur non etiam Persei equus Pegasus existimetur. Neque omnino intellegi potest, cur artifex ipsos Bellerophonitem et Perseum alterum alteri respondentem ficturus fuerit, nisi vinculo quodam inter se conexos putasset. Hoc autem utriusque cum Pegaso coniunctio est. Praeterea nisi Persei equus Pegasus esset, unus Chrysaoris ortus exstaret, Pegasi nihil significaretur. Quod nullo in alio opere occurrit. Scyphum

¹⁾ Journ. of hellen. stud. XIV (1894) p. 135/36.

²⁾ O. Jahn l. c. p. 8 n. 30.

³⁾ Ed. Millingen, Anc. uned. mon. II, 2 et alibi.

⁴⁾ Furtwaengler in Rosch. M. L. I. 1719. O. Rossbach, Griech. Antiken in Breslau (1889) p. 21; H. Schmidt l. c. p. 152.

⁵⁾ Ed. Millingen ibid. II, 3.

enim aliis quoque rebus mirum,¹⁾ in quo e collo Medusae unus Chrysaor nudus prodit, falsarii opus esse Stephanius cognovit.²⁾ Caput quoque humanum quod in amphora Caeretana³⁾ inter alas Gorgonis trucidatae prominet, ab homine recenti additum est.⁴⁾ Alia vero quaestio est, sitne Perseus e vetustissima fabula Pegaso vectus. Quod cum postea fusius expositurus sim, negandum esse nunc brevi indicasse satis habeo. Cur enim Pegasus omnino adsit, illa causa est, quod ipse quoque aeque ac Chrysaor post Medusae caedem natus esse fertur. Perseus autem nullam ob aliam rem eo utitur, nisi ut Bellerophonti equo vecto respondeat. Quod iam dudum Lewezowius recte intellexit,⁵⁾ ut Panofka de solio Aesculapii Epidaurii admonuit, in quo Thrasymedes et Medusam a Perseo caesam et Chimaeram a Bellerophonte interfectam sculpsit.⁶⁾ Quod Brunnus et Sixius coniecerunt anaglypha illa Melia solii Epidaurii imitationes esse,⁷⁾ id titulo Epidaurio refellitur, quo Thrasymedem quarto demum saeculo fuisse docemur.⁸⁾ Fieri tamen potest, ut Thrasymedes et anaglyphorum artifex ex eodem fonte hauserint.⁹⁾ Ceterum anaglypha illa Melia cum arte Ionica cohaerere videntur.¹⁰⁾

Iam ipsum ortus momentum in sarcophago Cyprio fictum est.¹¹⁾ E collo Medusae quattuor alis praeditae tunicaque longa vestitae Pegasus et Chrysaor, hic dextra, ille sinistra prodeunt; mater altera manu brachium Chrysaoris, altera pedem Pegasi tenet. A dextra parte Perseus falcem et cibis in e baculo pendentem portans discedit. Inter Medusam et Perseum canis ad dextram conversus sedet. Quodsi Knatzius

¹⁾ Ed. Stackelberg, Graeb. d. Hellen. 39.

²⁾ Comptes-Rendus p. 1881 p. 36.

³⁾ Ed. Mon. dell' Inst. VIII 34, 2.

⁴⁾ Cf. Knatz l. c. p. 19, nr. 11.

⁵⁾ Ueber d. Entwickl. des Gorgonen-Ideals (1833) p. 60 sq.

⁶⁾ Asclep. und die Asclepiaden (1846) p. 17 n.

⁷⁾ Abhandlg. der bayr. Akad. 1872 p. 535; — De Gorgone (1883) p. 55.

⁸⁾ Cf. Overbeck, Plastik II⁴ p. 126 n. 24—26.

⁹⁾ Cf. Knatz p. 52.

¹⁰⁾ Furtwaengler in Rosch. M. L. I, 1710; H. Schmidt l. c. p. 154; Knatz p. 48.

¹¹⁾ Cesnola, Collect. of Cypr. ant. t. 74 nr. 478; Perrot-Chipiez, Hist. de l'art III p. 612 fig. 419.

sarcophagum paucis decenniis ante heroum Trysaemum factum esse putat,¹⁾ seriori aetati tribuit, et H. Schmidtii iudicium propius ad verum accedere videtur, qui exeunti VI saeculo eum ascribendum esse dicit.²⁾ Anaglyphum autem arti Ionicae cognatum esse quattuor alae et tunica longa documento sunt.³⁾

Cui operi amphora rubris figuris picta quae in Etruria fabricata esse videtur, subiungatur.⁴⁾ E collo Medusae alatae longa tunica luxuriosa vestitae Pegasus ales et Chrysaor nudus emergunt; in altero vasis latere Gorgonis soror Perseum falcem et cibisin gestantem persequitur. Haec quoque pictura quodam modo cum arte Ionica cohaerere videtur.⁵⁾

Etiam in scarabaeo Etrusco e collo Medusae longa tunica vestitae Pegasus et Chrysaor oriuntur.⁶⁾ Quae gemma unde provenerit, Furtwaengler non dicit. Certo eadem est atque scarabaeus prope Cortonam inventus, quem quondam Depoletti, Romanus ille operum arte factorum mercator, possedit.⁷⁾

Quod vero R. Merkel dixit in vase quod a François nominatur, vesti Fortunae ortum Pegasi et Chrysaoris intextum esse⁸⁾, perperam se habet. Nam cum alia tum simplices complures equi alati ficti sunt.⁹⁾

Singulare autem est vasculum Nolanum musei Brit lineamentis elegantissime depictis ornatum.¹⁰⁾ Prope columnam sphinge coronatam Medusa alata concidit, a dextra parte Chrysaor nudus humi sedet, supra Pegasus ales in aere suspensus est; a sinistra parte duae Gorgones Perseum fugientem persequuntur; ante eum Mercurius currit, Minerva subsistit. Sin-

¹⁾ l. c. p. 51.

²⁾ l. c. p. 154.

³⁾ Furtw. Rosch. M. L. I, 1710; Knatz p. 48; 51; H. Schmidt p. 153.

⁴⁾ O. Jahn, Cat. d. Vasensamml. Koenig Ludwigs nr. 910; ed. Gerhard, Auserl. Vas. 89; 3, 4; cf. O. Jahn, Philol. XXVII p. 8.

⁵⁾ Furtw. in Rosch. M. L. I, 1711; Knatz p. 48.

⁶⁾ Ed. Furtw., Gemmen I tab. XX, 37.

⁷⁾ Arch. Ztg. XX (1862) p. 287*; Arch. Ztg. XXI (1863) p. 26* n. 64; Bullet. 1862 p. 8.

⁸⁾ Arch. Ztg. XXII (1864) p. 205.

⁹⁾ Stephani, Compte-Rendu p. 1878/79 p. 110; Weizsaecker, Rh. Mus. XXXII (1877) p. 46.

¹⁰⁾ Ed. Monum. dell' Inst. (1855) tab. II; p. 17; cf. O. Jahn, Philol. XXVII p. 9 n. 32.

gulare hoc opus dixi propterea quod et Pegasus et Chrysaor e corpore matris iam egressi sunt. Et quoniam alter humi sedet, alter subvolat, H. Schmidt, qui iure vasculum V saeculo tribuere videtur, bene coniecit artifici Hesiodi versus obversatos esse (Theog. 284/85) ¹⁾

3. Iam artis operibus perlustratis existit quaestio, utrum iure in duas partes a nobis divisa sint necne. Pariter autem atque in artis monumentis etiam in litteris modo solus Pegasus, modo cum Chrysaore cernitur. Quas si percurris, animadvertes Chrysaorem praeteriri, ubi uno de Pegaso vel ut equo Bellerophontis vel ut Hippocrenes auctore agitur, contra addi, ubi ortus fabula narratur. Velut Ovidius Met. IV 786 ubi ortus mentionem facit, et Pegasus et Chrysaorem profert, Met. V 259, quo versu illum locum respicit (cf. p. 13), unum Pegasus nominat, quoniam de Hippocrene a Pegaso fusa verba facit. Atqui illorum artis operum quae omnia ad ortus fabulam referuntur, ipsa dimidia pars unum Pegasus praebet, reliqua quinque etiam Chrysaorem ostendunt. Hoc ergo non inde ductum esse potest, quod Chrysaor minoris momenti sit. Ipsa autem ea monumenta quae cum arte Ionica cohaerere vidimus, et Pegasus et Chrysaorem praebent, in operibus Graeciae occidentalis unus Pegasus occurrit. Sequitur ut altera monumentorum pars ad alteram fabulae formam redeat. Atque opera in quibus unus Pegasus reperitur, ad Graeciae, cetera ad Asiae fabulam revocanda sunt.

Iam inquiramus, qualis ratio inter ea et veterrimum litterarum testimonium, Hesiodi Theog. 280/81, sit. Hos autem versus cum illis operibus in quibus unus Pegasus expressus est, nihil cohaerere in aperto est. Quare Hesiodo monumentum quoddam obversatum esse, in quo e Medusae collo caput equinum emerserit,²⁾ negandum est. Ac certo ne de tali quidem monumento cogitavit, in quali et Pegasus et Chrysaor adfuerunt. Inspicias enim versus: animadvertes neque de Medusae nec de Persei specie quicquam dici. Qua in re Scutum Herculis quod vocatur, maxime differt (v. 216 sq.).

¹⁾ L. c. p. 154; p. 175/76.

²⁾ Sic Knatz l. c. p. 48.

Quantopere vero verba quae Hesiodus de ortu Pegasi et Chrysaoris facit, obscura sint, supra exposuimus. Eam autem ipsam ob causam etiam improbandum est artifices qui Pegasi et Chrysaoris ortum finxerunt, Hesiodi rationem habuisse. Ceterum omnino Hesiodi carmina si ullam¹⁾, certe parvam vim ad artes habuerunt.²⁾ Quae cum ita sint, apparet et Hesiodum et artifices qui Pegasum una cum Chrysaore nasci faciunt, eadem fabulae forma Ionica usos esse. Ac Duemmler Hesiodum e Perseide quadam hausisse conicit.³⁾ Il. XIV 320 in catalogo quo Iovis amores enumerantur, Perseus ἀριδείκετος ἀνήρ appellatur. Hunc autem catalogum (XIV 317—328) seriore aetate interpolatum esse iam Aristophanes Byzantius recte intellexit (cf. schol. A. ad Il. XIV 320). Unum vasculum Nolanum quodammodo ex Hesiodo pendere vidimus, non ita ut artifex verba Theogoniae illustraret, multo enim obscuriora erant, sed ut traditum fingendi modum aliquantum mutaret.⁴⁾

c. De Perseo a prima ortus fabula alieno.

Cum plerisque igitur litterarum testimoniis omnia artis monumenta ita concinunt, ut Pegasum e collo Medusae a Perseo caesae nasci faciant. Tamen argumentis evincere posse mihi videor hanc non primam fabulae formam fuisse.

Ac fabula illa saepe cum Minerva comparata est, quae e capite Iovis a Vulcano vel a Prometheo fesso orta esse fertur.⁵⁾ Hac tamen comparatione e contrario discimus, quantum duae fabulae differant, ac quid fabulae quae de Pegasi ortu fertur, proprium sit. In altera enim fabula omnia deae origine contineri plurima artis monumenta gravissimo documento sunt. Quod Iovis caput finditur, nihil est nisi proprius pariendi modus, quem multo minoris momenti esse quam ortum ipsum per se intellegitur. Ea vero in fabula quae de Pegaso tradita est, non tam de ortu quam de caede

¹⁾ Brunn, Abhandlg. der bayr. Akad. 1889, II p. 73 sq.

²⁾ H. Schmidt l. c. p. 175/76.

³⁾ In Paul.-Wiss. s. v. Athena II p. 1973.

⁴⁾ H. Schmidt l. c. p. 175/76.

⁵⁾ Cf. Roscher, Gorgonen und Verwandtes, p. 30 sq.

agitur.¹⁾ Medusa interficitur. Ac Perseus collum eius persecat, non ut Pegasus et Chrysaorem in lucem producat, sed ut ipsum caput Gorgoneum, expeditionis periculosae praemium, consequatur. Ac cur caput secum portaret, si unius ortus causa abscisum esset? Neque quod Pegasus et Chrysaor caede Gorgonis prodeunt, Persei consilio, sed casu fit, neque ad ipsum Persei facinus pertinet. Quod cum litterarum testimoniis cognosci, tum artis monumentis perspicere potest. Neque enim Perseus Pegasi ortum curat, sed semper iam discessit, cum Pegasus nascitur. Quod cum in singulorum operum descriptione supra monuerim, illuc relegasse satis habeo. Atque ne Melium quidem anaglyphum in quo Perseus Pegato vehitur (cf. p. 19 sq.), excipitur. Etenim hic quoque Perseus terribile caput secum asportat neque Chrysaorem, cui Pegasus ut Gorgonis stirps omnino par est, quicquam curat. Neque in maiore monumentorum parte quae ad caedem Gorgonis a Perseo factam pertinent, mirabilis ortus omnino expressus est.²⁾ Unde non minus patet Pegasi originem ad Persei facinus nullius momenti esse. Litteras autem cum artis operibus concinere iam diximus. Ortum enim Pegasi et Chrysaoris post caedem Gorgonis evenisse sane testantur. Sed Perseum ortus causa expeditionem fecisse nusquam traditum est. Caedes igitur Medusae non ortus ab ipso Persei facinore alieni, sed ipsius causa confecta est.

Cui rei etiam hoc patrociniatur, quod matrem Pegasi primo equinam fuisse supra vidimus (cf. p. 3 sq.). Contra caput a Perseo abscisum quamvis terribile sit, tamen semper humanam speciem praebet. Unde patet capituli desecutionem a prima illa Gorgonis forma utique alienam ac postea demum esse adiectam.³⁾

Atque caedem ortumque primo non cohaesisse haec quoque documento sunt.

Aliae duae de Medusae caede fabulae traditae sunt.

¹⁾ Quod Duemmler in Paul-Wiss. s. v. Athena II p. 1973 iniuria invertit.

²⁾ Cf. Knatz l. c. p. 17 sq.

³⁾ Cf. Langbehn, Fluegelgestalten d. alt. griech. Kunst (1881) p. 131 sq.; Milchhoefer, Arch. Ztg. 39 (1881) p. 283 sq.; P. Kretschmer, Arch. Jahrb. VIII (1893) p. 34.

Tegeatae ut summum urbis suae praesidium crinem Gorgonis venerabantur, quo hostibus obtento victoriam ferebant. Hic crinis in templo Minervae Πολιάδος erat, quod ob id ipsum etiam τὸ τοῦ ἐρύματος ἱερόν vocatum esse apparet. Minerva autem crinem illum donasse dicebatur.¹⁾ Cuius doni Gorgonis caedem condicionem esse sponte apparet. Nec vero utrum Minerva ipsa eam commiserit necne, quicquam nostra refert. Hoc autem maximum est Tegeatis caede Gorgonis praesidium urbis obtigisse. Inde enim intellegi potest capitis monstruosi desectionem non ortus, sed sua ipsius causa necessariam fuisse. Pegasi vero in hac fabula nulla mentio fit. Neque in aliis Tegeaticis fabulis aut ipse aut figurae arte cum hoc conexas, ut Bellerophontes et Chimaera, unquam reperiuntur. Atqui nonnullis viris doctis Tegeatica ex Argivorum fabula in qua Perseus Gorgonem cecidisse fertur, pendere videtur.²⁾ Hoc ut verisimile est, ita illud eo gravius est Pegasi figuram in fabula Tegeatica deesse. Num fieri potuit, ut fabella de fisso Iovis capite ortu Minervae praetermisso transferretur? Minime. Altera autem fabula atque qua diserte Medusae caedes narratur, Attica est, primo ab Euripide prolata.³⁾ Atque Minerva Gorgonem interfecisse fertur. Quo tamen cum facinore in nullo nec litterarum nec artis monumento Pegasi ortus coniunctus est. Quod item indicio est caedem Medusae et Pegasi originem primo omnino non cohaesisse.⁴⁾

Atque eadem cum re fabulae similes plus semel adhibitae (cf. p. 4 sq.) optime conveniunt. Nam ne in una quidem ex illis ortus per vim ac caede matris confectus esse narratur.⁵⁾

¹⁾ Cf. nummos Tegeaticos quarto vel posteriori saeculo tribuendos; Head. H. N. p. 380; „Apollod.“ bibl. II 7,3; Pausan. VIII 47,4; Schwedler, de rebus Tegeaticis, Leipzig. Stud. IX (1886) p. 290/91.

²⁾ O. Mueller, Klein. Schrift. II p. 171; Gruppe, Griech. Mythol. I p. 204.

³⁾ Singulos locos supra p. 15 n. 1 attulimus. Caedis cum Gigantomachia coniunctio posteriori aetati tribuenda est; cf. Max Mayer, Giganten und Titanen (1887) p. 189; v. Wilamowitz, Heracles² II p. 198.

⁴⁾ Equus ales in galea, scuto, solio Minervae expressus non huius loci est, sed alibi tractabitur.

⁵⁾ Qua similitudine nisus iam Milchhoefer collegerat Pegasi ortum a Gorgonis caede primo alienum fuisse; cf. Arch. Ztg. XXXIX (1881) p. 281 sq.; Anfaenge p. 62.

Ergo mirum ortus genus quod plane ad proprium caedis modum, capitis sectionem, se accommodavit, a prima fabulae forma secludendum esse videmus. Pegasi autem originem cohaerere cum vetustissima quam initio tractavimus fabula, secundum quam Neptunus equus Medusam equinam compressit, in aperto est. Prima igitur fabula ea fuisse videtur, ut e coniugio Medusae equinae et Neptuni equini Pegasus prodierit.

d. De Chrysaore a prima ortus fabula alieno.

Iam nos vocat quaestio, utrum iure a prima fabulae forma Chrysaorem qui cum Pegaso artissime coniunctus videtur, secluserimus.

Atque Chrysaor ab Hesiodo μέγας vocatur (Theog. 281), ut non parvi momenti fuisse videatur. Fabulis autem Graecorum perlustratis χρυσάωρ sane ut nonnullorum deorum, Dianae, Apollinis, Cereris, cognomen occurrit. Nec vero usquam alibi numen proprium huius nominis invenitur neque in ceteris Persei et Medusae neque in Bellerophontis neque in aliis de Pegaso fabulis. Num vero putandum sit aliud „magni“ Chrysaoris vestigium omnino evanuisse?

Singulare autem nominis illius numen in Caria reperitur. Mylasus enim a quo Mylasa, Cariae urbs, dicta esse traditur, τοῦ Χρυσάωρος, τοῦ Γλαύκου, τοῦ Σισύφου, τοῦ Αἰόλου fuit (Steph. Byz. s. v. Μύλασα). Quae Chrysaoris genealogia sine dubio cum eo Herodoti loco cohaeret quo gentes quasdam Ionicas litoris Asiatici a Glauco originem repetivisse dicitur (I 147). Primo autem Chrysaor in capite genealogiae illius fuisse videtur, ut alibi pater Idriei dicitur, a quo Idrias, urbs Cariae, nominata esse fertur (Steph. Byz. s. v. Εὐρωπός). Cui urbi prius nomen Χρυσασορίς fuisse dicitur (Steph. Byz. s. v. Ἰδριάς; cf. Pausan. V 21, 5). Quo tempore priore neque eponymi Idriei neque Idriae nomen exstitisse apparet. Inde quod Χρυσάωρ pater Idriei illius nominatur, certo concludere licet Chrysaorem quondam nominis Χρυσασορίς auctorem ductum esse. Sed universa quoque regio olim Χρυσασορίς appellata erat (Steph. Byz. s. v. Χρυσασορίς, ubi Epaphroditum sequitur). Quae cum sine dubio et ipsa cum Chrysaore cohaeserit, Chrysaor olim proavus omnium existimatus esse

videtur qui illam regionem incolebant. Atque hoc optime eo confirmatur, quod praeter Chrysaorem etiam Car, totius gentis auctor, Idrii pater nominatur (Steph. Byz. s. v. Ἰδριάς). Futurum vero fuisse, ut proavo atque auctori totius gentis magni honores tribuerentur, facile exspectatur. Atqui in Caria celebrem „Iovis“ Χρυσάορος cultum exstitisse traditum est. Itaque hunc Chrysaorem eundem atque illum Carum proavum esse iure ponere licet.

Carium autem Chrysaorem eundem ac Gorgonis stirpem esse Schoemannus¹⁾ et alii suo Marte posuerunt. Hoc tamen iure fieri argumentis comprobandum est. Ac Chrysaoris qui ab Hesiodo „magnus“ nominatur, omne vestigium periisse non verisimile est. Quod si ita est, unus Carius Chrysaor invenitur, ad quem magnus Gorgonis filius referri possit. Neque illud offensioni est, quod ceteris rebus fabulam omnino Graecam esse videbimus. Ipse enim Chrysaor in prima fabula forma defuit. Cui rei hoc documento est. In vetustissima fabula Neptunus equus cum Medusa equina Pegasus genuit. Theogoniae autem e versu 283:

ὁ δ' ἄορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσὶ φίλῃσι

apparet Hesiodo Chrysaorem non ut equinum, sed specie humana obversatum esse. Quae si pristina eius species fuit, id quod sine causa dubitarem, in aperto est eum primo non duorum equorum stirpem fuisse. Unde apparet Chrysaorem non pristinae fabulae tribuendum, sed postea additum esse. Atque analogiam praebet fabula quae de Despoenae origine est. Quae humana specie praedita una cum equo Arione a Neptuno equo et equina Cerere-Furia (Demeter-Erinys) nata erat. Nec tamen huic genealogiae Despoena prius adiecta est, quam Ceres (Δημήτηρ) Furiae (Ἐρινύϊ) exaequata esset. Deinde si meminerimus, quod didicimus ipsa monumenta cum Ionica Asiae arte conexas Chrysaorem et Pegasus, cetera unum Pegasus praebere (cf. p. 22), elucet Chrysaorem in oriente demum fabulae additum esse. Quae res maxime indicio est iure nos Chrysaorem Hesiodi eundem ac Carium ducere. Et Chrysaorem alibi quoque ut Glauco filium Graecae genealogiae insertum esse iam vidimus.

¹⁾ Opusc. II p. 206.

In Caria autem Graecos et Cares varie mixtós esse constat. Ut Halicarnassus, Dorum colonia, quae dialecto Ionica utebatur, ab initio non minus Carica quam Graeca erat¹⁾

Doricis autem a colonis, quos fabulam hanc e Peloponneso in Asiam transtulisse videbimus, Chrysaor Neptuni et Gorgonis filius factus erit²⁾. Quamquam H. Schmidt contendit hanc genealogiam Caribus aut eorum finitimis Asiaticis tribuendam esse³⁾. At certo suum ipsorum deum non a quodam Graecorum numine duxissent, praesertim cum prius in Asia constitissent quam Graeci. Atque hoc quoque Graecae origini illius genealogiae patrocinator. Ipsum enim Χρυσάορος nomen Graecum esse apparet. Atque etiam Graecorum quibusdam numinibus cognominis loco idem additum esse vidimus. Cares vero si illam genealogiam finxissent, nomen dei patrii non in Graecum versuros fuisse per se intellegitur. Graecum autem nomen dei Carici ita explicandum esse videtur. Plutarchus Carum λάβρον idem ac Graecorum πέλεκυν significare tradit (Qu. Gr. 45, 302 A.). Unde verisimillima coniectura collectum est vocem Chrysaoris, cuius numinis in Caria cultus celebrer erat, ad Labrandei versionem usui fuisse⁴⁾.

Qui vero factum sit, ut Chrysaor fabulae Gorgonis sit insertus, erui posse non videtur. Repetatur autem hic quoque memoria analogiae quam similis de Despoenae origine fabula praebet. Illud tamen reiciendum est, quod Jessen putat Chrysaorem fabulae ab Hesiodo demum additum esse, qui in enumeranda Phorcyos Cetusque posteritate (Theog. 270 sq.) Medusam et Geryonem (287 sq.) coniungere voluerit⁵⁾. Hoc si in animo habuisset, Chrysaoris loco ipsum Geryonem Medusae prolem facere potuit.

e. De patria fabulae.

Reliquum est, ut de regione in qua fabula orta sit, disseramus.

¹⁾ Cf. Ed. Meyer, *Gesch. d. Altert.* II § 179.

²⁾ Cf. Tuempel, *Fleckeisens Jahrbücher Suppl.* XVI (1888) p. 160.

³⁾ l. c. p. 153.

⁴⁾ Preller-Rob., *Griech. Myth.* I p. 141, 2; P. Kretschmer, *Einleitung* p. 301/5.

⁵⁾ *Paul.-Wiss. s. v. Chrysaor*, III 2484.

1. Ac veterum testimoniis Gorgonum domicilium, ubi Medusa a Neptuno vitata post Persei caedem Pegasus edidit, in regione fabulari collocatum est. Ut Hesiodus Gorgones habitasse dicit:

πέργην κλυτοῦ Ὀκεανοῦ,
 ἔσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἴν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι
 (Theog. 274/75); ibidemque Medusam a Neptuno

ἐν μαλακῷ λειμῶνι καὶ ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι
 (Theog. 279) esse compressam atque a Perseo capite privata,
 quo facto Pegasus prosiluerit, cui hoc nomen inditum sit,
 ὅτ' ἄρ' Ὀκεανοῦ περὶ πηγᾶς

γένθ'
 (Theog. 282/83). Iam vero Hesperides aurea mala custodire constat, quae in deorum horto nasci dicuntur. Μαλακὸς autem λειμῶν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν ornatus sedis piorum proprius est, a qua hortus ille primo non differebat¹⁾. Num igitur Gorgones horribiles in illo piorum loco moratas esse censendum est? At vera Hesperidum natura in illo cernitur, quod et una cum Thanato similibusque numinibus proles Noctis sunt²⁾ et quod auctore Acusilao illarum loco Harpyiae mala deorum custodiunt, quas omnino easdem atque Hesperides esse Epimenides testis est³⁾. Etenim in illa occidentis regione orci quoque numina versantur. Atque illic inferorum sedem esse inde a prisca antiquitate credebatur⁴⁾. Haec autem sine dubio occidentalis Gorgonum habitatio intellegenda est⁵⁾.

Cui sententiae et illud favet, quod Gorgones non semel in orco collocantur: Hom. Od. XI 633 sq. Ulixes narrat:

ἐμὲ δὲ χλωρὸν δέος ἤρει,
 μή μοι Γοργεῖην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
 ἐξ Ἄιδου πέμψειεν ἀγαυὴ Περσεφόνη,
 atque in pictura parietaria sepulcri quod Tomba dell' Orco

¹⁾ Cf. Pseudo-Plat. Axioch. p. 371c ἔνθα παντοῖοι δὲ λειμῶνες ἄνθεσι ποικίλοις ἐαρζόμενοι; Dieterich, Nekyia p. 21.

²⁾ Hes. Theog. 211 sq.; cf. v. Wilamowitz, Heracl.² II p. 97; Rohde, Rhein. Mus. L (1895) p. 3, n. 1.

³⁾ v. Wilamowitz, ibid.; Rohde ibid.

⁴⁾ Cf. Dieterich, Nek. p. 23.

⁵⁾ Rohde l. c. p. 4.

nominatur, Proserpina caput Gorgoneum gestat¹⁾; apud Aristophanem *Ran.* 475 sq. Γοργόνες Τιθράσαι atroces orci figurae sunt; Argis caput Gorgoneum in foro sepultum erat; Perseus Medusam interfectorus Orco galea induebatur; Γοργύρα, a qua voce brevior forma Γοργώ ducta esse videtur, Acherontis mulier nominatur; conferas praeterea Verg. *Aen.* VI 289, „Apollod.“ bibl. II 5, 12²⁾. Atque orcum habitationem Gorgonum putandum esse etiam illud indicio est, quod Hes. *Theog.* 275 ἐσχατῆι πρὸς νοκτὸς morari dicuntur. Quo loco νόξ vox sane nihil nisi quandam caeli regionem significat, sed Hesiodus ea non usus esset, si Gorgones in occidentali beatorum sede versantes finxisset, cuius quidem sempiternam serenitatem propriam fuisse et candorem perpetuum praedicari constat. At Hesperides, quarum ibidem domicilium est, Noctis filiae feruntur.

Nec vero μαλακὸς λειμῶν aut ἀνθη εὐαρινά quicquam prohibent, quominus Gorgones in orco morantes fingantur. Nam deorum hortus et piorum sedes et orcus haud raro confunduntur, ut postremo piorum domicilium ipsius orci pars facta sit³⁾. Cur autem illo Hesiodi loco e rebus beatorum sedis propriis ipse μαλακὸς λειμῶν nominetur, singularis causa esse videtur. Medusam enim equinam a Neptuno equo vitiatam esse vidimus. Quod in prato quodam factum esse e fabulis similibus colligendum est. In prato enim Neptunus equus compressit equinam Cererem-Furiam (Pausanias VIII 25, 4); pascentes Erichthonii equas Boreas equinus βοσκομένας saluit (II. XX 223); Harpyiam Podargen βοσκομένην λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῦ Zephyrus (II. XVI 151). Harpyiae autem in extrema occidentis regione habitant. Quoniam etiam Neptunum et Medusam in prato olim coisse pro certo habendum est, fabula in extrema occidentis parte collocata ipsum illud pratium cum arvo in piorum sede sito facile exaequari potuit. Quare si ipse campus sedis piorum ab Hesiodo affertur, memoria prati in quo Neptunus et Medusa corpora ferina miscuerunt, conservata esse videtur⁴⁾.

¹⁾ Cf. Maxim. Mayer, *Arch. Jahrb.* VIII (1893) p. 200 n. 38.

²⁾ Rohde, *Psyche* II p. 408.

³⁾ v. Wilamowitz, *Heracl.* II p. 97; Dieterich, *Nek.* p. 23.

⁴⁾ Cf. Milchhoefer, *Anfaenge* p. 61.

Sed cum sedes illa in extrema occidentis parte sita inferiore aetate modo hic collocaretur modo illic, et Gorgonum domicilium et locus quo Medusa a Perseo caesa Pegasus edidit, mutabatur. Ut Pegasus a Nonno Ἀΐβυς ἵππος vocatur (Dionys. XXXVIII 402), quod Libya una ex regionibus est, ubi occidentalem numinum sedem esse veteres finxerunt¹⁾. Ceterum de locis in quibus Gorgones collocabantur, videas quae Roscher et Tuempel protulerunt²⁾.

Iam vero optime cum illis quae de Gorgonibus in orco versatis diximus, convenire videtur coniectura quam Knatzius ex artis quibusdam monumentis fecit.

In sarcophago Cyprio supra descripto (cf. p. 20) inter Medusam caesam et Persecum discedentem canis uno capite praeditus sedet. Quem Anubim significare³⁾ refutatum est⁴⁾. Neque illi cani vim sepulcralem inesse concedendum est⁵⁾, cum fabula ipsa in sarcophago expressa nullam ansam praebet. Knatzius autem canem illum Cerberum esse censet⁶⁾. Quem eundem etiam in anaglypho heroi Trysaei expressum esse putat. Ubi Perseus manu sin. Medusae caput portans magnis gradibus ad sin. fugit. Ante eum quaedam res saxum vel collem significans exstat, ante quam canis uno capite instructus prominet⁷⁾. Ac Knatzius de illis quos supra attulimus locis admonet, qui Gorgones in orco versatas esse documento sunt.

At etiamsi Cerberus nonnunquam uno capite indutus est et ceteris quibus insigniri solet, rebus caret, tamen maxime mirum esset in ipso utroque illo monumento altero cum altero nihil conexo raram Cerberi speciem exhibitam esse. Neque canem locum caedis Gorgoneae significare puto sed comitem esse, qui in fabula quadam nobis non tradita Perseo

¹⁾ v. Wilamowitz, Heracl. II p. 99.

²⁾ Gorgonen und Verwandtes, p. 27 sq; — Aethiopenlaender, Fleckens Jahrbuecher Suppl. XVI p. 160 sq.

³⁾ Sic Ceccaldi, Monum. ant. de Chypre p. 71.

⁴⁾ Perrot-Chipiez, Hist. de l'art III p. 616.

⁵⁾ Sic Cesnola, Cyprus p. 113.

⁶⁾ l. c. p. 51/52.

⁷⁾ Benndorf, das Heroon von Gjoelbaschi-Trysa, Taf. 19, 9.

attributus fuerit¹⁾. Atque etiam aliis heroibus canis adiectus est: Meleagro, Ulixi, Dioscuris aliisque.

Illud vero in extremo occidente domicilium nonnullis viris doctis indicio esse visum est Gorgonum fabulam ad tempestatis naturam referendam esse. Nubes enim ab occidentis parte exsurgere solitas esse²⁾. Neque tamen haec sententia probanda est. Atque in universum quidem Crusius iure contradixit³⁾. singillatim autem opponenda sunt primum, quod etiam Harpyiae aliaque numina in occidentis regione extrema morantur, — an et iis omnibus natura tempestatis subiecta sit? — deinde quod antiquis satis temporibus Gorgones variis in regionibus atque etiam in terris occidenti contrariis, ut Hyperboreorum et Aethiopum, collocatae sunt.

2. Restat ut de singulari quodam Ovidii loco (Met. IV 794 sq.) verba faciamus. Gorgo „*clarissima forma multorumque spes invidiosa procorum*“ a Neptuno in quodam Minervae templo compressa esse dicitur, quam ob rem dea pulcherrimos eius crines in angues mutaverit. Quae fabella e quodam Ovidii commentario⁴⁾ in narrationes fabularum quae Lactantii vocantur (IV, 20) fluxit; unde sumpsit Myth. Vat. I 131, quem ipsum Myth. Vat. II 112 secutus est.

Quoniam mira Gorgonis pulchritudo inferioris aetatis fabula continetur, etiam illam crinis mutationem posteriori temporis tribuendam esse apparet. Quamquam iam Hesiodum Gorgones pulchras finxisse a nonnullis dictum est, quod de terribili specie nihil proferat. Hoc tamen uno e silentio conclusum est. Hesiodum ipsum de specie nulla verba facere nihil miri habet Pindari praeterea locus affertur, quo Medusa εὐπάραος vocatur (Pyth. XII 16). Attamen videas quae numina ab Hesiodo καλλιπάρηα nominantur⁵⁾: Graeae (Theog. 270), quae ἐκ γενετῆς πολλαί; Echidna (298), πέλωρον ἀμήχανον

¹⁾ Idem censent Perrot-Chipiez, Histoire de l'art III p. 616; Max. Mayer, Verhandlg. der Goerlitz. Philol.-Versammlg. (1889) p. 348.

²⁾ Cf. Roscher, Gorgonen u. Verw. p. 17 sq.

³⁾ Philol. L (1891) p. 94 n. 1.

⁴⁾ Cf. R. Foerster, der Raub und die Rueckkehr der Persephone (1874) p. 290.

⁵⁾ Pindarus neque voce εὐπάραος alibi neque καλλιπάρηος omnino usus est.

(295), cuius pars inferior anguis terribilis erat (299); Ceto (238), multorum monstrorum proava (270 sq.). Atque iisdem etiam Gorgones insertae sunt. Quare illa Pindari voce perfectam Gorgonis pulchritudinem evinci negandum est. Pulchriorem autem Gorgoni speciem a Myrone primo datam esse Furtwaengler opinatur.¹⁾

Tanta autem ei formositas sensim attribuebatur, ut pristinae foeditatis memoria anguineae solum comae restarent.²⁾ Non vero hanc Gorgonis speciem ab Alexandrinis metamorphoseon poetis neglectam sed crinis anguinei causam fictam esse per se intellegitur.³⁾

Quare cum mira Medusae pulchritudo et crinis mutatio seriori aetati ascribenda sit, Ovidii verbis nihil fabulae vestustioris contineri posse videtur, nisi quod Neptunus Medusam atque formositate carentem in templo Minervae vitiaverit. At e prima quidem fabulae forma Neptunum et Gorgonem ferina corpora atque in prato miscere vidimus. Ubi Minervae nulla omnino ratio habetur. Praeterea quomodo in templum Minervae equi duo veniant, non intellegendum est. Itaque Ovidianae fabulae origo non antiquissimis, sed illis temporibus ascribenda esset, quibus Pegasi parentibus non iam beluarum forma, sed species humana tribui coepit. Attamen quomodo monstrum Medusaeum, cui Minerva semper adversariam se praebet, nullo impedimento in templum pervenit? Et quid ei ibi negotii est? Non enim Medusam in aede ipsius Minervae versari certo momenti nullius esset. Atqui Gorgonis poenam Alexandrinis poetis ascribendam esse vidimus. Ergo patet in priore fabulae forma Minervam, quippe quae nihil agat, nullius momenti futuram fuisse. Quae cum ita sint, stuprum Neptuni in templo Minervae collocatum non pro vera fabula habendum, sed poetis ascribendum esse apparet.

Sic autem fabella orta esse videtur: anguineae comae Medusae, virginis ceterum pulcherrimae, erant explicandae. Nec vero Perseum qui Gorgonis adversarius nominari solet,

¹⁾ Meisterwerke p. 326; 388.

²⁾ Furtwaengler in Rosch. M. L. s. v. Gorgo I 1709 sq.; Brunn, Griech. Goetterideale (1893) p. 53 sq.; Loeschcke, die Enthauptung der Medusa (1894) p. 12 sq.

³⁾ Rohde, Griech. Roman² p. 98.

crinem mutare potuisse in promptu est. Itaque una Minerva reliqua erat, quam quidem non minus Medusae adversariam esse scimus. Causa tamen afferenda erat, cur Minerva a Gorgone poenam repeteret. Ipsum autem stuprum a Neptuno commissum cum mutationem a Minerva factam nondum explicare posset, in templo illo collocabatur. Quam ad rem fabulae similes valuisse mihi videntur. Poetas enim Alexandrinos quae ipsi finxerint, ea ad vetustiorum fabularum exemplar formare solitos esse constat. Atque exempli causa illa fabula afferatur, qua Aethram Sphaeria in insula manes expiantem a Neptuno in templo Palladis vitiatam esse narratur.

Sane ea quae exposuimus, non cum opinione eorum congruunt, qui omnes fabulas in quibus templi mentio fit, ad cultum quendam deorum referendas esse putant. Ut O. Mueller¹⁾ fabellam ab Ovidio relatam ad Argivum quendam cultum pertinere censet. At cum ea quae supra attulimus, tum hoc opponendum est. Non Aethra ipsa, quippe quae insons sit, poenas dat, sed templi cultusque voto Minervae ira placatur. Medusa autem a Neptuno vitiatam quam ipsa quoque culpa caret, poenas solvit, ne aedes impune violata sit. Hac autem expiatione facta cultus instituendi nulla iam causa erat. Atque haec quidem de locis quibus veteres fabulam collocaverunt.

3. Iam existit quaestio, cuinam regioni quae non sola cogitatione ficta sit, fabula attribuenda videatur.

Nec vero quin ad Graecos redeat, dubium est. Nomina enim Gorgonis, Medusae, Poseidonis Graeca esse consentaneum est. Atque etiam Pegasi nomen, ut infra docebimus, optime e Graeco duci potest. Atque e Graecia eum in Asiam esse translatum supra comprobavimus. Similes praeterea fabulae semel atque iterum allatae nihil praebent, quod a Graeca origine abhorreat. In quibus quae afferuntur nomina ad unum omnia Graeca sunt. Etiam hoc animadvertendum est. Licet a Milchhofero qui equum in orientis fabulis nullius momenti esse dicit²⁾, dissentendum sit³⁾, tamen fa-

¹⁾ Kleine Schriften II p. 171.

²⁾ Anfaenge p. 56.

³⁾ E. Knoll, Studien p. 21 sq.; Bérard, de l'origine des cultes Arcadiens p. 112 sq.

bula quae ipsi ei quae nobis proposita est, similis sit, illic non invenitur. Contra Indiae et Germaniae fabulas persimiles exstare vidimus (cf. p. 5). Unde conicere licet Graecos eiusmodi fabulas e pristinis domiciliis in Graeciam attulisse. Illic autem Pegasi fabula septentrionalibus Peloponnesi regionibus familiaris fuit. Quo potissimum loco et Persei et Gorgonis et alias de Pegaso fabulas collocandas esse constat. Argivis autem a colonis fabula postea in Asiam translata est.¹⁾ Atque illic Chrysaor adiectus est.

III. De Perseo Pegaso vecto.

Supra ectypon Melium attulimus, in quo Perseus manu sinistra falcem, dextra caput Gorgoneum tenens equo alis carente vehitur, sub quo Medusa capite privata procubuit, cuius e collo Chrysaor modo exit. Equum autem illum, quamquam pinnis caret, tamen Pegasus intellegendum esse ibidem comprobavimus (cf. p. 19 sq.). Perseus igitur celeriter alterum Medusae filium cepisse videtur, quo facilius effugere posset. Perseum autem equo vectum Wieseler etiam Parisiis in sítula Muratii se vidisse dicit.²⁾ Sed utrum recte necne, in medio relinquo. Nam etiam Stephanus, qui in gemma Florentina Perseum Pegaso vectum repraesentatum esse opinatus erat, postea id ipse revocavit.³⁾ Dumontius quoque Perseum reperiri plus semel equitantem dicit neque tamen aliud opus nisi ectypon Melium affert⁴⁾ aequat que Knatzius, qui monumenta ad Persei fabulam pertinentia diligenter congregavit. Headius autem⁵⁾ Pegasus Perseo in Daldensi Gordiani III nummo attributum esse coniecit.⁶⁾ Ubi tres Gorgones sub arbore dormiunt, a parte dextra Perseus appropinquat, a sinistra equus stat. Is tamen si Persei esset, iuxta hunc stare debebat. Maxime autem ea de causa coniectura illa improbanda est, quod caedes Medusae nondum facta, sed perpetranda est.

¹⁾ O. Mueller, Proleg. p. 313; Dorer I² p. 113/14; Tuempel, Fleckeis. Jahrbuech. Suppl. XVI p. 160.

²⁾ Arch. Ztg. XVII (1859) p. 120*.

³⁾ Compte-Rendu p. 1864 p. 34 n. 1; p. 1881 p. 26.

⁴⁾ Monuments grecs (1878) p. 21 n. 2.

⁵⁾ H. N. p. 549.

⁶⁾ Ed. Mionnet, Suppl. VII tab. XI 1.

Itaque non magis quam Apollinis sacellum ibidem fictum equus cum Perseo atque Gorgonibus cohaeret. Anaglyphum igitur Melium unum certum artis opus est, in quo Perseus equo vectus occurrit.

Atque etiam litterarum unum exstat testimonium quo Perseus Pegaso vehi proditur, Ovidii versus (Amor. III 12, 24):

victor Abantiades alite fertur equo.

Quem locum ut familiari fabulae concinnum redderent, interpretes vetustiores alterum Abantem statuerunt, qui Bellerophonis pater fuerit. Quam opinionem non probandam esse in promptu est. *Victor* enim *Abantiades* alium ac Perseum significare nequit. Quo nomine Ovidius Perseum etiam Met. V 236 appellat. Atque alibi simpliciter *Abantiadem* eum vocat: Met. IV 607, 673; V 138; Ib. 461. Alii autem interpretes vetustiores eam viam inierunt, ut *fertur* idem atque „tractatur“ vel „celebratur“ valere opinarentur. Ac verbis *alite fertur equo* Pegasi originem a Perseo confectam significari dicunt. Verum etiam hanc interpretationem derelinquendam esse in aperto est. Neque omnino Persei gloria in ortu Pegasi, facto fortuito, non consilio, posita est.

Quoniam uno Ovidii loco Perseus Pegaso usus esse fertur, eo magis mirum est ipsum hunc nunquam fere testimonii causa allatum esse. Contra alii loci congesti sunt, quibus re vera Persei in Pegaso equitantis mentio non continetur.

Ut Scuti Herculis v. 216 affertur, ubi Perseus *ἰππῶτα* appellatur.¹⁾ Sed Pegasus, qui toto illo carmine non nominatur, poeta certo non significat. Neque enim Perseum Pegaso, sed pennis talaribus aufugientem fecit: ἀμφὶ δὲ ποσσὶν ἔχε πτερρόεντα πέδιλα (220); ὁ δ' ὥστε νόημ' ἐποτάτο (222). Praeterea *ἰππῶτα* equitem communi caballo usum, non Pegaso vectum significaret. Vox sine dubio translata est ex epico carmine Homeri, apud quem non equitis notio ei subiecta est, sed eius qui de curru pugnat.

Persei autem Pegaso vecti etiam in iis mentionem fieri

¹⁾ Duc de Luynes, Ann. dell' Inst. VI (1835) p. 231; Gaedechens in Ersch. et Grub. Lex. s. v. Gorgo p. 413, n. 36; M. Mayer, Verhandlg. der Goerlitzer Philolog.-Versammlg. p. 338.

opinantur quae Suidas s. v. Μέδουσα profert.¹⁾ Haec tamen primo a Malala traduntur (lib. II p. 36, 21 sq. ed. Bonn.) Qui quidem narrat Perseum Gorgonis capite in Libya absciso atque Andromeda in Aethiopia liberata in Ciliciam venisse: ἐρχόμενος ἐπὶ τὴν Ἰσαυρίαν καὶ Κιλικίαν καὶ ἀντιστάσεις αὐτοῦ πολεμίων ὑπομένοντος ἐχηματίσθη ταῦτα, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἰδίου ἵππου ἀποβάς τὸν σὸν ταρσὸν τοῦ ποδὸς εἰς τὴν χθόνα πῆξας νίκην λάβοις, καὶ κατελθὼν ἐκ τοῦ ἰδίου ἵππου E quo loco quae in Chronicum Paschale (tom. I p. 71, 16 sq.), a Cedreno (tom. I p. 40, 18 sq.), Suida aliisque transsumpta sunt, exscribere supersedeo. Neque enim quicquam novi proferunt, quod ullius momenti sit. Quem vero in auctorem ea redeant, quae a Malala accepimus, parum constat. Perseum autem Tarsi conditorem ductum esse multo ante traditur (Antip. Thessal. A. P. IX 557). Commenta praeterea quibus Tarsi nomen cum ταρσῶ coniungitur, iam auctores aetatis Alexandrinae narraverunt. Ubi tamen nomen Tarsi a Bellerophontis vel Pegasi, non a Persei calce ductum esse dicitur.²⁾ Quin autem Tarsi nomen cum Bellerophontis fabula prius conexum sit, non dubium est. Nam si prius Perseus, qui urbis conditor fertur, nominis auctor dictus esset, fabula Tarsi a Bellerophontis calce nominatae postea sine dubio non orta esset. Neque enim Bellerophontes unquam urbis illius conditor putabatur. Ac ne iis quidem locis quibus nomen Tarsi ad eiusdem vel Pegasi calcem revocatur, eum urbem constituisse dicitur. A Perseo autem nomen postea repeti potuit, quippe qui conditor urbis ferretur. Conditorem enim potissimum cum urbis nomine conexum putari in promptu est. Ut autem Bellerophontes prius cum Tarso coniungeretur, illa causa fuit, quod iam apud Homerum (Il. VI 200 sq.) campus Tarsensis qui Ἀλήμιον πεδῖον dicitur³⁾, cum Bellerophontis fabula cohaeret. Bellerophontem autem hunc in campum delapsum claudum esse factum Euripides narraverat. Quod manifesto in Perseum translatum est, si apud Cedrenum scriptum est Perseo urbem condendam fuisse, ἐνθα ἐκ τοῦ ἵππου ἀποβάς τὸν ταρσὸν ἔδουνηθῆς

¹⁾ Duc de Luynes, Gaedechens, M. Mayer ll. cc.

²⁾ His de fabellis infra accuratius dicendum est.

³⁾ Hic campus primum apud Herodotum (VI 95) diserte in Cilicia collocatur.

τοῦ ποδός. Atque omnino commentum quo Tarsus cum Persei calce coniungitur, persimilis Bellerophontis fabellae imitatio est. Quod cum ita sit, putaverit quispiam Pegasus in Perseum translatum esse atque cum iis consentiat, qui ἴδιον ἔπτον eum intellegunt. Nec vero horum opinio probanda est. Pegasi enim neque in iis quae de Tarso, neque quae de Gorgonis caede paulo ante proferuntur, ulla mentio fit. Nec vero ex ipsa ἔπτου voce Pegasus intellegere iure possumus. Immo haec vox adversatur, cum Pegasus non communis equus sit, atque eo magis, quod in hac fabella ad Bellerophontis exemplum ficta Pegasus ipse exspectari potest. Causa vero, cur Perseus e commento illo equo vectus esse dicatur, manifesta est. Perseo enim ibi urbs constituenda est, ubi primum calce terram tetigerit. Ergo non pedibus advenire debet. Hoc enim si fieret, ante locum oraculo definitum multos iam alios calcibus tetigisset.

Iam alius locus quo quis Perseum Pegaso vectum significari putaverit, quoddam Iuvenalis scholion est. Quo a poeta Egnatius dicitur (III 117/18):

ripa nutritus in illa,

ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Quos versus fabulam illam spectare, qua Tarsi nomen ad Bellerophontem relatum est, nunc inter omnes constat. Scholiasta autem parum dilucide ad hunc locum dicit: *apud Tarson propter Perseum et Pegasus, quod de sanguine Medusae natus sit Pegasus.* Quibus verbis Perseum Tarsi cum Pegaso conexum significari fortasse quispiam dixerit. Hoc tamen si ita esset, non alia potius fabella proferretur, quae ut Tarsi nomen explicat, ita ad illos versus minime quadrat. Hoc enim ad explicandum Iuvenalis locum dicitur: *cuius (scil. Tarsi) urbis est conditor Perseus, qui nomen civitati ex facto dedit, quia ibi una ex talaribus pennis ei excidit.*¹⁾ Hoc autem modo verba illa intellegenda mihi videntur. Ut Iuvenalis verba ipsius ad Persei fabulam referrentur, vox *Gorgonei* sine dubio causa fuit. Neque tamen fabula exstabat, quae cum Iuvenalis verbis conveniret. Quare ad verba quae

¹⁾ Ταρσός etiam pinnam significat.

parum perspicua videbantur, pariter verba minime dilucida afferebantur.

Atque etiam nummi Tarsenses obstant, ne quis Perseum Pegaso vectum fuisse putet. Nam ne in uno quidem Perseus equitat, sed in omnibus est pinnis talaribus ornatus ¹⁾ Neque multis Ponti nummis, quorum altera in parte Perseus, regum Ponticorum proavus, altera Pegasus conspicitur, ²⁾ ullum Persei Pegaso vecti documentum contineri apparet.

Quae cum ita sint, anaglyphum Melium et Ovidii locus restant. Quae ne vetustissimae fabulae indicia iudicentur, omnia illa argumenta repugnant, quibus Perseum primo cum Pegasi origine omnino non conexum fuisse planum fecimus (cf. p. 23 sq.).

Qui autem Perseus cum Pegaso coniunctus est?

Fabulam non in confusione Persei et Bellerophontis positam esse certum est. Sane quidem apud Myth. Vat. I 71 legimus: *Bellerophontes, qui et Perseus*, et ibidem 157, *Perseo mandatum esse, ut Chimaeram et Gorgonem et Medusam (sic!) interficeret*. Sed tamen Perseum ectypi Melii a Bellerophonte alterius anaglyphi non seiungendi differre perspicuum est. ³⁾ Atque ne Ovidium quidem confusione peccasse documento est, quod etiam alibi Perseum *victorem Abantiadem* vel *Abantiadem* appellat (cf. p. 36). Ovidii tamen e loco Mythographi Vaticani confusio derivanda videtur. Ovidius enim Perseum Pegaso vectum esse dicit, e vulgari fabula Bellerophontes eo usus est. Quae causa fuisse videtur, ut iidem putarentur atque Perseus etiam contra Chimaeram mitteretur.

Sed fabula qua Perseus Pegaso usus esse dicitur, etsi non ex illa confusione, tamen e Bellerophontis fabula nata esse videtur. Quoniam enim Perseus Gorgonis caede utique cum Pegaso coniunctus erat atque postea per aera aufugiebat, non multum aberat, ut alatus Gorgonis filius ipse ei ad

¹⁾ Imhoof-Blumer, coin types of some Kilikian cities, Journal of hell. studies XVIII (1898) p. 171 sq.

²⁾ Head, H. N. p. 424 sq.

³⁾ Fischer, Bellerophon (1851) p. 68 sq nescio quo modo opinatur etiam eum qui altero in anaglypho contra Chimaeram pugnat, Perseum esse. Quod Engelmannus, Ann. dell' Inst. XLVI (1874) p. 18 et Stephanius, Comptes-Rendu (1881) p. 36 iure repulerunt.

fugam tribueretur¹⁾. Quae quidem translatio ab artifice facta esse mihi videtur. Ipso enim in artis monumento facillime fieri poterat, si Perseus et Bellerophontes, utrique cum Pegaso conexi, ita exprimebantur, ut alter alteri responderet. Ut enim inter se congruerent, necesse erat etiam Perseum altiore loco positum esse. Qua de causa artifex et ipsum Pegaso vehementer fecerit. Ita Perseum Melii illius anaglyphi explicandum esse iam Lewezowius optime intellexisse mihi videtur (cf. p. 20). Atque Loeschkius quidem opinatus est ambo illa ectypa Melia ad idem exemplar redire atque anaglypha a Thrasymede in solio Aesculapii Epidaurii facta (cf. p. 20). Quod si ita est, Perseus Pegaso vectus Melia ectypa aetate antecessit. Quae res etiam per se probabilis est. Neque enim vereor, ne quis inventum illud artificii anaglyphorum Meliorum ipsi ascribat.

Ovidii locum cum ectypo Melio non directe cohaerere facile intellexeretur, etiamsi Pegasus in illo artis opere alis non careret. Et si Amorum testimonium per se consideres, Ovidius ipse Perseum Pegaso vectum fecisse videri possit. Fabulam enim Persei praeter plures alias brevissime perstringit, ut licentiam poetarum exemplis illustret. Qua in re eum nova atque inaudita non proferre in aperto est. Immo certis quibusdam fabulis exemplis uti solet²⁾. Et quia Persea Pegaso vectum facit, quamquam et Bellerophontes Pegaso et Perseus laciniis plumatis usi erant notissimi, confusio illa Ovidio ipsi tribui possit. Attamen altera ex parte animadvertendum est fabulam talarium Persei pinnarum Ovidium minime ignorare. Ipsa enim e fabulis est, quibus illustrandi causa uti solet. Ut Amor. III 6, 13/14 et Trist. III 8, 5/6 lacinias Persei plumatas affert. Praeterea in versu antecedenti (Amor. III 12, 23) generalem de alis pedum mentionem fecit: *nos pedibus pinnae dedimus*. Quales etiam Perseo tribui solitas esse constabat. Quas res contaminationem illam impedituras fuisse in aperto est. Quare si Ovidius

¹⁾ Aristides Perseum et Bellerophontem ut eos componit, quibus solis Iuppiter in aëris regionem intrare permiserit, εἰς Πόσειδῶνα 13 K.

²⁾ Lueneburg, De Ovidio sui imitatore (1888) p. 50 sq.; cf. Ehwald Burs. Jahresb. (1894) II p. 13 sq.

nihilominus Perseum Pegaso vectum facit, non ipse hoc finxit, sed aliunde sumpsit.

Atque hic in recentioris aetatis quaedam litterarum et artis monumenta excurrere liceat, in quibus Perseus pariter Pegaso vehitur. Quorum ad originem eruendam unum Ovidii testimonium pertinere in aperto est. Quem strictim fabulam attingere, cum omnino Perseum Pegasi equitem nominet, iam antea diximus. Neque enim quam in occasione Pegaso et potitus et usus sit, cognoscimus. Vagis autem ex Ovidii verbis explicari mihi videtur Pegasus Perseo ad omnia facinora tributum esse.

Quin etiam ipsam ante Medusae caedem eum possedissee fertur. Quod primus Boccatus proferre videtur, cum de Perseo ad Gorgones profecturo dicat: *habuitque Pegasus alatum* (de genealogia deorum XI 25) et: *sic et Perseum* (scil. Pegasus tulisse), *dum ad Gorgonas ivit* (ibid. X 27). Quamquam his cum locis non ita bene convenit, quod paulo ante Pegasus de sanguine Gorgonis a Perseo caesae natum esse dixit. Ad Boccatum autem recentissimi auctores redire videntur: Georges, qui dicit Perseum Pegasus usum per aera in Gorgonum regnum pervenisse et praepetem nominatum esse, quod plumis talaribus instructus simulque Pegaso alato vectus fuerit¹⁾, et H. Wolf, qui Perseum Pegasus insidentem ad Gorgones profectum esse dicit.²⁾

Atque idem in fabula illa factum esse videtur, quam colona agrestis loci Etrusci qui Pratovecchio nominatur, edidisse dicitur.³⁾ Quam breviter narrare haud inutile esse videtur.

Ac rex liberis carens precibus factis filiam impetrat, quod si filium genuisset, ipsius exitio futurum erat. Quod cum ita esset, pater filiam nutrici tradidit, ut in turri quadam custodiret. Hac tamen pretio corrupta filius regis cuiusdam secreto filiae illi se iunxit. Atque filium ea peperit, qui XV anno peracto avum visitavit. A quo missus est, ut caput

¹⁾ Ausfuehrl. lat.-deutsch. Handwoerterb. s. v. *Perseus* et s. v. *praepes*.

²⁾ Progr. d. Gymn. zu Duesseldorf (1896) p. 36.

³⁾ Pitre, *Novelle popolari Toscane* (1885), quem sequitur Hartland, *The Legends of Perseus* (1894) I p. 11 sq.

strigae terribilis abscideret, quae aspicientem quemque in saxum transfigurabat. In itinere autem seni obviam factus iuvenis equum alatum nanciscitur et monetur, ut ad domum quandam se conferat, ubi duae feminae oculo communi usae habitabant. Ab iis enim speculum accepturus erat, quo reflexum strigae caput impune adspicere posset. Iam equo alite ad feminas illas vectus est. Quarum oculum surreptum ea condicione reddidit, ut speculum sibi obtingeret. Quo accepto ad ipsam strigam profectus est. Cuius capite potitus domum rediit. Atque in itinere virginem a dracone septem capitibus instructo liberavit, cum capite strigae obtento in saxum converteret. Linguas autem draconis exsectas¹⁾ secum auferens iter pergit, ut terrarum orbem cognoscat. Sutor autem veteramentarius occasione usus virgini liberatae mortem denuntiat, nisi ipsum draconis victorem perhibeat ac sibi nubere velit. Quibus de rebus certior factus iuvenis ille redit et septem draconis linguis verus liberator cognitus virginem in matrimonium ducit. Domum autem postea reversus avum capite strigae obtento in saxum vertit.

Iam vero Hartlandus de tenacitate fabularum vulgarium admonens narrationem illam per plus duo milia annorum conservatam ad priscam antiquitatem redire opinatur. At ipsum illud, quod haec narratio non e Graecia, sed ex Etruria prodita cum vetere Persei fabula mirum quantum concinit, eius sententiae repugnat. Qualis consensus in neograeca fabula inventus facilius intellegeretur. Verum tamen ipsa in illa fabula neograeca quam Hartlandus comparat,²⁾ neque de capite strigae afferendo nec de equo alato ulla mentio fit. Maxime autem ei illud contrarium est, quod in fabula illa iuvenis equum alitem, quo sine dubio Pegasi ratio habetur, iam ante strigae caedem possidet. Nam hoc ipsum ab antiquitatis fabula prorsus abhorret. Quare non dubium est, quin ut aliae ita illa narratio orta sit e veterum fabula aetate recenti renata. Quod ipsum ad Boccatium vel similem auctorem revocandum esse videtur.

¹⁾ Hoc cum dracone antea in saxum converso minime convenire vides.

²⁾ J. G. v. Hahn, Griech. und Alban. Maerch. (1864) II p. 114, p. 310.

Caede autem facta Perseus Pegaso insidens effugisse dicitur. Ut Schmieder dicit: *Behend fasst er das Haupt, schwingt sich aufs Ross und wendet es zum Rueckzug etc.*¹⁾ Atque in imagine ad Ovid. Met. IV 655 sq. facta Perseus a Gorgonibus rediens Pegaso vehitur.²⁾ Quod sane cum Ovidii verbis minime concinit.

Quodsi Pegasus perpetuus Persei socius putatur, sane etiam in draconis caede exspectatur, cuius in potestate Andromeda fuisse fertur. Quod quidem in crebris antiquitatis testimoniis quae ad Andromedae fabulam pertinent, nusquam occurrit.

Verum in monumentis recentibus plus semel invenitur. Ut in una e celeberrimis picturis parietariis palatii Farnesiani Perseus Pegaso vectus ad Andromedam liberandam appropinquat. Quod opus non ab Hannibale Carraccio sed a Domenichino maximam certe partem factum esse iudicatur. Etiam in tabula musei Casseliani ab Alexandro Turchio picta Perseus Pegaso vectus ad Andromedam per aera advenit³⁾. Atque in libello magistro cuidam memoriae causa dedicato musei Vratislaviensis, quod Kunstgewerbemuseum nominatur, pictura linearis exstat anno p. Chr. n. 1654 facta, quae Perseum iamiam e Pegaso cum dracone pugnantes repraesentat. Denique anaglyphum ab O. Lessingio fictum afferatur, quo Berolini puteus Viae Latae ornatus est. In quo Pegasus alis distentis iuxta Andromedam in saxo sedentem stat; in antica autem parte Perseus pedibus cum dracone pugnat. Quod sine dubio spatii angustiis adductum est.⁴⁾

Sed etiam apud scriptores recentiores Perseus Pegasi ope Andromedam liberans occurrit. Ut Schoemannus in interpretatione loci cuiusdam Iuvenalis Perseum Pegaso vectum ad Andromedam liberandam Ioppen pervenisse dicit.⁵⁾ Quamquam ne uno quidem e locis ab eo enumeratis reperitur. Schoemannum autem vel Ludov. Friedlaender secutus est.

¹⁾ Mythologie der Griech. und Roem.² (1825) p. 260 sq.

²⁾ Die Verwandlungen des Ovidii in 226 Kupffern, in Verlegung Johann Ulrich Krauss, Kupfferstechern in Augspurg († 1719) n. 60.

³⁾ Cf. O. Eisenmann, Catal. nr. 505, p. 319.

⁴⁾ Ed. in „Ueber Land und Meer“ XL (1898) p. 798.

⁵⁾ Opusc. III p. 272.

Iam vero quod ad „sensem“, ut ita dicamus, fabularum attinet, quae ad Pegasi ortum pertinent, primum proferatur, quod ex iis quae eruimus, negandum esse videtur.

Atque et Chrysaorem et Perseum postea additos esse comprobavimus. Quare opiniones eorum qui in explicando vel a Perseo orsi sunt vel a Chrysaore, cuius nomen dilucidum ac perspicuum esse videbatur, explodendae sunt.

Pristinam autem fabulae formam eam cognovimus, ut Neptunus et Medusa equorum specie induti Pegasus gignerent. Cui fabulae alias complures persimiles esse vidimus. Quibus in omnibus nihil nisi liberorum singulorum ortus profertur. Nihil igitur nisi de fabulis genealogicis atque vetustissimis agi apparet. Nec mirum est etiam ferinum Pegasus genealogiae conexui inseri. Iam enim vidimus fabulam ad illa tempora redire, quibus ipsi dei summi beluarum specie induti credebantur, cum bestia homini par vel etiam superior putaretur. Quare facile intellegitur figuram ferinam simili conexui atque homines adiungi. Quoniam autem genealogia prima de Pegaso fabula contineri non potest, apparet pristinam eius naturam alibi quaerendam esse.

Postquam de fabulis dixi quae ad originem Pegasi pertinent, nunc Pegasi et Bellerophontis arta coniunctio tractetur.

B.

De fabulis quae ad Pegasus cum Bellerophonte conexum pertinent.

I. De Pegaso a Bellerophonte domito.

Hae fabulae cum iis quas adhuc consideravimus, nullo vinculo cohaerent. Ac primum quidem de fabula disserendum est qua narratur, quomodo Bellerophontes Pegaso potitus sit. Quod cum Corinthi factum esse communi consensu tradatur, incertum esse non potest, ubi fabula primigenia ac familiaris fuerit. Primus autem atque copiosius Pindarus eam profert Ol. XIII 63 sq., quo carmine laudes Xeno-

phontis Corinthii persecutus est. Atque Bellerophontem in urbe Corintho ἀμφὶ κρουνοῖς Pegasus subigere (ζεῦξαι) molitum esse narrat.¹⁾ Nomen fontis Pindarus non affert. Sed cum versu paulo antecedenti (61) Pirenen nominet, colligere licet ipsa de hac eum cogitasse.²⁾ Atque etiam Euripides cum Pegasus Πειρηναῖον πῶλον nominet (Electr. 475), domituram ad Pirenen factam animo finxisse videtur. Dilucide autem Pirenen fontem illum fuisse dicunt et scholiasta ad eum quem supra laudavimus Pindari locum: παρὰ τοῖς κρουνοῖς καὶ βεύμασι τῆς Πειρήνης et Strabo: ἐνταῦθα (scil. ad Pirenen) δέ φασι πίνοντα τὸν Πήγασον ἀλδῶναι ὑπὸ Βελλεροφόντου (VIII 379). Frustra tamen Bellerophontes laborem suscipit, donec Minerva frenum ei aureum affert (χρυσάμπυκα χαλινὸν v. 65; δαμασίφρονα χρυσόν v. 78). Simulque Neptuno et frenum monstrare et bovem immolare a Minerva iubetur. Quod ubi fecit ac Minervae ipsi aram consecravit, Pegasus frenare conatur. Iam inceptum facillime succedit. Atque protinus in equum alitem insilit.

Nec vero haec Pindarica ad Iliadis sextum revocanda esse, in quo de Bellerophonte copiosa est narratio (Il. VI 155 sq.), in promptu est. Neque enim Pegasi apud Homerum ulla mentio est. Factum tamen esse potest, ut Pindarus sua de Eumeli Corinthiacis sumpserit. Quamquam certa ansa huic coniecturae deest.³⁾

Quod autem illo Strabonis loco Pegasus πίνοντα ἀλδῶναι a Bellerophonte legimus, id cum Pindaro, qui Pegasus ad fontes versatum fuisse dicit, optime congruit. Atque etiam in Corinthiis V saeculi nummis Pegasus frenis modo prae-

¹⁾ Ζεῦξαι hoc loco non idem valere atque *frenare*, sed idem quod *subigere* significat, in aperto est. Etenim versus sequentes Bellerophontem freno omnino carere docent. Ac vox illa ne *ad currum* quidem *iungere* significare potest. Quod fieri nequit, nisi equus frenatus sit. Praeterea Bellerophontem curru unquam usum esse nusquam traditur atque etiam in illa Pindarica descriptione ad extremum ipso Pegaso vehitur; cf v. 86.

²⁾ Ut κρήναι, fontes, flumina de uno fonte dicantur, ita ne κρουνοί quidem pluraliter dicti quicquam offensionis habent; cf. Unger, Thebana paradoxa (1839) I p. 198.

³⁾ Cf. E. Luebbert, de Pindari stud. Hesiod. et Homeric. (1882) p. 17.

ditus, modo carens e fonte bibit¹⁾. Qui quidem iure ad illam fabulam revocari possunt²⁾).

Quod vero Strabo Bellerophonti auxilium Minervae contigisse non affert, inde colligi non potest hunc eam fabulae formam novisse, secundum quam Bellerophontes dea non iuvante Pegasus in dicionem suam redegerit. Summatim enim in descriptione Corinthi fabulas exponit. Neque quicquam narrat quod non cum Pindaro conveniat. Quocum etiam hi Aristidis loci optime congruunt: Βελλεροφόντη δὲ αὖ πρὸς τὸν κέλητα γενέσθαι χαλινὸν παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς (Ἀθηνᾶ 14 K.), et paulo post dicitur: φασὶ γὰρ Βελλεροφόντην μὲν ἐπὶ πτηνοῦ τοῦ Πηγᾶσου φέρεσθαι. ἐχόμενον τοῦ δώρου τῆς Ἀθηνᾶς (ibid. 24 K.). Aristides autem, qui etiam alibi Pindarum respicit, illa de ipsa XIII Ol. sumpsisse mihi videtur. Denique haud quaquam a Pindaro discrepant, quae in Et. Magn. s. v. Ἑλλωτίς ad explicandum Minervae Hellotidis cultum Corinthium proferuntur: εἴρηται δὲ Ἑλλωτίς ἢ θεός, ὅτι Βελλεροφόντης τὸν Πήγασον ἵππον ἐλὼν καθ' ὑποθήκην καὶ συμμαχίαν τῆς Ἀθηνᾶς ἐχαλίνωσε καὶ ἀπὸ τοῦ ἐλεῖν τὸν ἵππον Ἑλλωτίαν προσηγόρευσεν αὐτὴν καὶ ἱερὸν ἰδρύσατο· καὶ τὰ Ἑλλωτία ἐορτή. Quoniam in fine annotatum est: Πίνδαρος ἐπινικίῳ Ξενοφώντος, apparet illa Etymologici verba e scholio quodam ad Ol. XIII petita esse. Versu enim 40 huius carminis Pindarus Xenophontem septies Hellotia vicisse praedicat. In iis tamen scholiis quae nobis servata sunt, non illa sed alia fabulae forma invenitur. De qua iam agemus.

Formam a Pindarica satis diversam Pausanias nobis tradidit. Qui causam, cur Minerva Χαλινίτις a Corinthiis culta sit, hanc fuisse dicit: Ἀθηνᾶν γὰρ θεῶν μάλιστα συγκατεργάσασθαι τὰ τε ἄλλα Βελλεροφόντη φασί, καὶ ὡς τὸν Πήγασόν οἱ παραδοίῃ χειρωσαμένη τε καὶ ἐνθεῖσα αὐτῇ τῷ ἵππῳ χαλινόν (II 4, 1). Ex hoc loco Bellerophontem nihil ad Pegasus domandum fecisse, sed ipsam Minervam equum frenasse ac Bellerophonti tradidisse videmus. Atque eadem fabulae forma a scholiasta

¹⁾ Catal. of greek coins of Brit. Mus., Corinth, pl. V, 1; VII, 7; p. 147; nummi Corinthii Pegaso signati πῶλα nominabantur: Poll. Onom. IX 76.

²⁾ Cf. persimilem fabulam neograecam e Çagori vico Epirico editam (v. Hahn, Griech. und Alban. Maerch. (1864) II p. 289).

ad Pind. Ol. XIII 40 (56) allata est. Aequè autem atque locus Etymologici ad Ἑλλώτια declaranda usui est. Haec secundum quosdam instituta esse, ἐπειδὴ τὸν ἵππον τοῦ Βελλεροφόντου ὑπέταξεν ἢ θεὸς τὸν Πήγασον καὶ περιέθηκεν αὐτῷ τὰ χαλινὰ καὶ οὕτως εἶλεν αὐτόν. Atque Hellotidem Minervam nominatam esse Κορίνθιοι μὲν λέγουσιν ἐλοῦσαν καὶ χαλινώσασαν παρ' αὐτοῖς τὸν Πήγασον. Ceterum Pegasi domituram ab hominibus doctis temporum inferiorum ad Ἑλλώτια et Ἑλλωτίδα relatum esse facile intellegitur. Causa autem sine dubio haec fuit, quod Pindarus Ἑλλώτια in eodem carmine nominat quo narrat, quem ad modum Bellerophontes adiuvante Minerva Pegasum ceperit (ἐξε v. 84). Unde patet ad illam explicationem primum Pindari memoriam usui fuisse, postea alteram, quae quidem, cum a Minerva ipsa Pegasum domitum esse dicat, cognomen Hellotidis simplicius declarare videbatur.

Iam vero ex artis monumentis quae ad Pegasi domituram referenda sunt¹⁾, unum etiam Minervam repraesentat. Pictura parietaria est Pompeis reperta²⁾. Neque tamen hoc in opere domitus ipse, sed quod item alibi nusquam occurrit, momentum prius expressum est. Atque anteriore in parte Pegasus ad rivum pascitur, in posteriore Minerva et Bellerophontes appropinquant. Dea igitur an Bellerophontes Pegasum domiturus sit, incertum est. Quod cum ita sit, diiudicari nequit, utrum illa pictura ad Pindaricam memoriam an ad Pausaniae magis accedat. Quamquam apud Pindarum Minerva in ipsa domitura non adest.

Cetera vero artis opera quae ad domitus fabulam pertinent, unum Bellerophontem ostendunt.

Quorum quidem in compluribus ipsa domitura ficta est. Ac primo loco ponendum est veterrimum omnino mo-

¹⁾ Congesserunt ea atque tractaverunt: Fischer, Bellerophon (1851) p. 57/58; Engelmann, Ann. dell' Inst. XLVI (1874) p. 9/10 (= E); Stephani, Compte-Rendu (1881) p. 30-33 (= St.); v. Prittwitz-Gaffron, Bellerophon in der antik. Kunst (1888) p. 10-14 (= v. Pr.), quo quidem in opusculo parum diligenter facto Stephani nusquam mentio fit.

²⁾ Ed. Giornale degli scavi di Pomp. n. s. I pl. 7, 1 = E. 12 = St. 29 = v. Pr. I, 8; Helbig, Untersuchungen d. camp. Wandm. p. 98; Sogliano, le pitture murali camp. scoperte negli anni 1867-79 nr. 520.

numentum quo illa fabula exprimitur. Quod musei Berolin. est amphora nigris figuris artis posterioris ornata¹⁾. Ubi iuvenis brevi tunica indutus, manu dextra hastam tenens brachium sinistrum protendit ad equum alatum qui tranquillus incedit. Quas figuras ad fabulam quandam revocandas esse documento est, quod altera in parte vasis Hercules cum tauro cernitur. Ubi cum Hercules taurum modo subigat, etiam altera in parte ipse Pegasus exspectatur. Cui rei maxime favet, quod Bellerophontes freno caret. Iniuria igitur Engelmannus et de Prittwitz Bellerophontem et Pegasus post domitum conciliatos agnoscunt. Ac multo minus Fischero assentiendum est, qui nescio quomodo picturam illam ad Bellerophontis lapsum referri opinatur. Recta Stephanii interpretatio est. Nec vero alius ac Bellerophontes, quem Furtwaengler sine causa dubitanter solum ponit, fictus esse potest.

Ceteris autem in monumentis, in quibus domitura reperitur, Bellerophontes Pegasus effugere conantem retinet. Ac modo iubam manu dextra comprehendit²⁾, modo etiam manu sinistra Pegasi crus sinistrum capessit, dum manu dextra idem atque in operibus supra citatis perpetrat³⁾, modo manibus ambabus equi prostrati alas prehendit genu sinistrum inguinibus imponens⁴⁾. Pariter ceterum aliae eiusdem generis fabulae repraesentatae sunt, ut Gorgo a Perseo subacta, Minotaurus a Theseo domitus, cerva ab Hercule prostrata, Eurytion a Pirithoo superatus, Dacia a deo Tiberino victa⁵⁾.

¹⁾ Furtw., Catal. 2137; ed. Dubois—Maisonneuve, *introduc. à l'étude des vases* tab. 31 = Fisch. p. 83/84 = E. nr. 29 = St. nr. 1 = v. Pr. II 8. Quod autem Fisch. E. v. Pr. amphoram in mus. Luporensi esse dicunt, in errore versantur.

²⁾ Anaglyphum sarcophagi in insula Anaphe reperti ed. Ross, *Abhandl. d. bayr. Akad.* (1838) t. 3, C; *Arch. Aufs.* II t. 18; Fisch. p. 58 = E. 5 = St. 41 = v. Pr. I 1; idem in anaglypho inedito sarcophagi Patrensis occurrit: E. 6 = St. 42 = v. Pr. I 2.

³⁾ Sigillum aeneum quod nunc Florentiae est, ed. *Ann. dell' Inst.* (1856) t. 23. = E. 8 = St. 83 = v. Pr. I 4.

⁴⁾ *Fragm. prostypti inediti* quod est in vinea quae dicitur Carpegna: Matz—Duhn, *Ant. Bildw. in Rom III*, 3559 = E. 7 = St. 39 = v. Pr. I 3; cui operi similis gemma exstat: Fisch. p. 57 = E. 10 = St. 57 = v. Pr. I 5.

⁵⁾ Robert, 22. *Hall.-Winckelm.-Prg.* t. 1; Roscher *M. L.* II p. 2133.

His autem quae percensuimus operibus domitus Pegasi, non freni iniectione repraesentatus est. Etenim in omnibus Bellerophontes freno caret. Quae cum ita sint, putaverit quispiam artifices Pindarum secutos esse, qui quidem Ol. XIII 63/64 dicit Bellerophontem freno Minervae carentem suis viribus Pegasus subigere frustra molitum esse. Atque utrum Pindarus, ut ipse artifices suae aetatis plus semel respicit¹⁾, ita ad opera posteriora valuerit necne, incertum est. Quam vim ad artem fingendi habuerit, omnino nondum tractatum est. Sed tamen operibus ad Pegasi domituram pertinentibus Pindari verba illustrari negandum est. Neque enim ullum monumentum indicio est Bellerophontis inceptum irritum esse. Immo Pegasus frustra effugere conatur. Atque in duobus sarcophagis quos supra enumeravimus, Chimaera anticipata est. Quae cum Bellerophontis victoriam Pegaso auxiliante reportatam significet, singulari documento est duo haec monumenta non ad irritum Pegasi domitum spectare. Ea autem de causa Pegasus a Bellerophonte subactus iterum ac saepius expressus esse videtur, quod artificibus ansam ad varium fingendi modum praebebat.

Nec vero Bellerophontes frenum modo iniciens usquam repraesentatus est. Quare ne v. 84—86 quidem Pindari ad monumenta artis fingenda valuerunt.

Compluribus tamen operibus momentum freni iniectionem plus minus sequens fictum est.

Ac nonnunquam Bellerophontes Pegasus plus minus alii suspensum freno retinere laborat²⁾. Aliis autem in monumentis Pegasus frenatus ut non subvolat, ita plus minus resistit. Quae, si excipis speculum quoddam Etruscum³⁾, nummi Corinthii aetatis imperatoriae sunt⁴⁾.

¹⁾ Jebb, Journ. of hellen. stud. III (1882) p. 174 sq.

²⁾ Gemma ed. Mill. gal. myth. 105, 394, alibi; Fisch. p. 83 = E. 78 = St. 62 = v. Pr. I 6; anaglyphum lucernae fictilis, ed. Bartoli, antiche lucerne I 28; E. 9 = St. 148 = v. Pr. I 7; gemma mus. Petropol. = St. 46. Quae sitne antiqua, incertum est. Perperam autem Thorlacium, Fischerum, Engelmannum gemmam primo loco positam ad Bellerophontis lapsum referre ante Pritwitzium cognovit Stephanus.

³⁾ Gerhard IV 334, 1.

⁴⁾ Multi a Stephanio congesti sunt, Comptes-Rendus (1881) p. 31, e quibus una Stratoniceae Cariae attribuenda est; tres expressi sunt in Catal. of greek coins of the Brit. Mus., Corinth, XV 1; XVIII 2, 3.

Hannig, De Pegaso.

Denique in aliis operibus Pegasus quamquam invitus in Bellerophontis potestatem se dedit. Quorum in numerum notum anaglyphum domus Spada¹⁾ et sarcophagus Lycius a Roberto cum fide expressus²⁾ referenda sunt. Quae ab eodem exemplo repetita esse Robertus optime comprobavit³⁾. Ac sarcophagi quidem anaglyphum ex accurata Roberti descriptione ad Pegasus modo domitum spectat. Quod fons non expressus est, nihil offendit, cum in opere Spadano reperiatur, quod hac in re exemplar secutum est. Quod autem in ectypo Spadano summa tranquillitas est, sine dubio non ab exemplari ducendum, sed posteriori cuidam artificii tribuendum est. Hic igitur sarcophagus Lycius primum exemplum imitatus est, qui perspicue domitus fabulam respicit. Idem vero in exemplar eburneae duae cistellae redeunt, quarum altera Verolis quondam servata nunc in mus. Londinensi, quod South-Kensington nominatur⁴⁾, altera multo negligentius facta Pirani quondam servata nunc Vindobonae est in museo, quod nominatur Kunsthistorisches Museum⁵⁾. Quae quidem ab artificibus Byzantinis factae saeculo IX—XI attribuendae sunt. His autem in cistellis praeter Bellerophontem et Pegasus femina adest velata pallio, quo unus dexter umerus liber est brachiumque dextrum, quod stupore commota tollit. Quam Pirenen esse, quippe quae etiam alibi iuxta Pegasus posita sit, probabile est. Neque inverisimile eburneas cistellas hac in re exemplar primum cum fide secutas esse, ad quod etiam anaglyphum Spadanum et sarcophagum illum Lycium revocanda esse modo diximus⁶⁾. Praeterea parvum monumentum aeneum proferendum est⁷⁾, in quo Bellerophontes iuxta Pegasus pacatum stat. Atque etiam musivum Panormitanum multifariam resartum afferendum est. Antiqui operis posterior Pegasi pars et Bellerophontis astantis pes hastaeque fragmentum est⁸⁾.

¹⁾ Schreiber, Hellenist. Reliefbild. t. 3.

²⁾ Robert, d. antiken Sarkophagreliefs II tab. 50 fig. 138.

³⁾ Ibid. p. 146/47.

⁴⁾ Ed. v. Schneider, Serta Harteliana (1896) p. 287; cf. Graeven, Jahrb. d. kgl. preuss. Kunstsammlg. XVIII (1897) p. 15 sq.

⁵⁾ Cf. v. Schneider ibid. p. 258 nr. 37.

⁶⁾ Cf. Graeven ibid. p. 16.

⁷⁾ Stephani nr. 84.

⁸⁾ E. 28 = St. 35 = v. Pr. II 7.

Atque ne ea quidem opera quae ad momentum freni iniectioem plus minus sequens pertinent, cum Pindaro cohaerent. Hic enim dicit Bellerophontem frenum Minervae lene (πρᾶν φάρμακον v. 85) nactum facile Pegaso potitum esse (κούφα κτίσις v. 83). Ac freno iniecto Bellerophontes protinus in Pegasus insiluit (ἀναβάς δ' εἰθδός v. 86/87). Utrum autem ad proprium fingendi modum litterae omnino viam habuerint necne, disceptari nequit. Neque enim litterarum testimoniis quae quidem aetatem tulerunt, quicquam traditur, quod illuc pertineat. Ac facile fieri poterat, ut sola artis fingendi ratio ad operum illorum proprietates momentum afferret.

Iam vero quid perlustrata artificum opera ad fabulam valeant, quaerendum est.

In pictura Pompeiana, in qua Medusa et Bellerophontes furtim ad Pegasus accedunt, nihil perspicui significatum esse iam supra diximus (cf. p. 47). Ceteris autem in monumentis Minerva deest ac Bellerophontes Pegasus subigit. Quare artis opera ab ea fabulae forma quam Pausanias prodit, abhorrere videmus. Quenam autem monumentorum et memoriae Pindaricae ratio est? Atque cum hac artis opera optime concinunt. Minervam enim Bellerophonti frenum donasse neque tamen ipsam domiturac interfuisse apud Pindarum legimus. Ex quo intellegitur ex artis operibus propriam fabulae formam, qua Bellerophon dea non adiuvante Pegasus subegerit, iure colligi non posse. Cui rei etiam ipsum illud contrarium est, quod unum ex multis artis operibus Minervam praebet, duplex autem Pindari et Pausaniae memoria, ceteris rebus dissona, uno consensu Minervae partes quasdam tribuit. Ac deam a fabula illa seiungi non posse etiam ea quae sequuntur documento erunt.

Nunc enim quaeritur, utra fabulae forma aetate prior fuerit. Ac Pindarus Corinthiorum laudes persecuturus inventa enumerat, quae Corinthi facta esse feruntur (Ol. XIII 17 sq.). Ubi cum alia multa reperta, tum primum equum frenatum esse dicit:

τίς γὰρ ἰππέιους ἐν ἔντεσσιν μέτρα
scil. ἐπέδηκεν (20 sq.). Quem ad locum scholiasta quidam
vetus recte dicit: τοῦτ' ἔστι τὰ ἰππεια μέτρα τοῦ χαλινού. ἀπο-
4*

δεδώκασι δὲ τῷ δοκεῖν τὸν Πήγασον πρῶτον ὑπὸ Βελλεροφόντου ἐν Κορίνθῳ κατεζεύχθαι. Quod quidem in versibus sequentibus (63 sq.) multis verbis exponitur. Ut autem Pindarus Corinthiis cetera inventa certo non mero suo apte ex ingenio tribuit, ita sine dubio ne illud quidem finxit primum equum apud eos frenatum fuisse, quod insuper multis versibus celebrat. Quae laudes si fictae essent, nonne in contrarium verterent, ut ludibrio potius essent? Praeterea inventa commenticia cum Pindari natura certo male convenirent. Unde patet Pegasi domituram a Bellerophonte freno confectam Pindari temporibus fabulam Corinthi familiarem fuisse. Quam ex Eumeli Corinthiacis fortasse sumptam (cf. p. 45) Pindarus secutus est. Quae cum ita sint, Fischeri opinio refutatur,¹⁾ qui fabulam apud Pausaniam servatam aetate priorem fuisse arbitratur. Pindarum enim ipsum Pegasi domitum ea mente a Minerva in Bellerophontem transtulisse existimat, ut hic atque Corinthus universa maiore gloria niterent. At nonne etiam ab ingenio ipsius Pindari maxime alienum est deae laudem quandam adimere et in Bellerophontem transferre? Illam igitur in fabulam cadunt quae Aristides profert: Πίνδαρος μάλιστα ἀληθείας ἀντέχεσθαι δοκεῖ τῶν ποιητῶν περὶ τὰς ἱστορίας (or. Aegypt. 112 K.).

Atque etiam fabulae similes argumento sunt Pindari memoriam priorem existimandam esse. Velut Minerva Cyrenaeos et Barcaeos equum subigere, Erichthonium equos ad currum iungere, Danaum primam navem aedificare docuit. Quibus in fabulis Minerva instituit et adiuvat neque tamen ipsa singula perficit. Quare non Pausaniae memoria, ex qua quidem Minerva ipsa Pegasus frenat, sed Pindarica priorem se praebet.

Ipsi autem Pindaro ascribendum esse mihi videtur, quod Bellerophontem primo suis viribus Pegasus subigere frustra conatum esse dicit. Proprium enim eius est, ut fabulas ad mores referat. Atque Bellerophontis fabula hoc quidem contineri dicit (v. 83):

τελεῖ δὲ θεῶν δύναμις καὶ τὰν παρ' ἔρκον καὶ παρὰ Φελπίδα
κούφαν κτίσιν.

¹⁾ L. c. p. 21.

Quod quo magis emineat, Pindarus opposuisse mihi videtur Bellerophontem dea non adiuvante operam frustra sumpsisse.

Pristina igitur fabula aliis similis ea fuisse videtur, ut Bellerophon Minerva auxiliante Pegasus frenaverit. Qua ipsa fabulae forma continetur Bellerophontem auxilii divini indiguisse. Quodsi Pindarus diserte dicit Bellerophontem per se Pegasus subigere non potuisse, fabulae commutatae coargui nequit.

Reliquum est, ut quaenam fabulae natura sit, dicamus. Atque discrepanti Pindari et Pausaniae memoriae magnum Minervae momentum commune est. Bellerophon autem apud Pausaniam quasi partes secundas agit; atque in Pindari scholio quod supra laudavimus (cf. p. 47), omnino praetermittitur. Quae cum ita sint, opinio quam Bethius de fabulae illius origine protulit, reicienda esse videtur. Qui quidem putat fabula illa explicari, quo modo Bellerophontes in possessionem Pegasi venerit¹⁾. Hoc tamen si ita esset, Minerva omnino non opus erat, nedum primas partes, Bellerophon secundas ageret. Vera autem fabulae natura ipso in magno Minervae momento cernitur. Atque apud Pindarum legimus Bellerophontem Minervae Ἰππείᾳ aram consecrare (Ol. XIII 82). Pausaniae autem fabula Χαλνίτιδος peculiari in templo cultae explicatio est. Nec vero ipsum hoc deae cognomen documento esse Pausaniae memoriam priorem fuisse in aperto est. Neque enim ipsa voce Chalinitide de ratione quae inter Minervam et frenum intercedat, quicquam certi dicitur. Fabula igitur cum Corinthio Minervae cultu cohaeret. Quae cum ita sint, sine dubio ex ipso illo parta est. Atque Bellerophontis mirabilisque Pegasi coniunctio antiquitus nota ad cultum explicandum usui fuit, cum Bellerophon equum alitem dea adiuvante nactus diceretur²⁾. Unde simul facile intellegi potest, cur in priore fabulae forma Bellerophon Pegasus ipse frenans magnum momentum habeat, in altera secundas partes agat. Iam ex iis quae exposuimus, apparet domiturae fabulae quandam naturae rationem quam

¹⁾ In Paul.-Wiss. s. v. Bellerophon, III p. 248.

²⁾ Cf. ceterum Neograecorum fabulas: v. Hahn, Griech. und Alban. Maerch. (1864) II p. 289 sq; J. Mitsotakis, Ausgew. griech. Volksmaerch.³ p. 161 sq.

subesse nonnulli putaverunt, non subiectam esse. Qualem simili Cyrenaeorum Barcaeorumque fabulae non subesse nemo negaverit.

Neque domitus fabulam ad explicandam Bellerophontis possessionem, sed ad explanandum Minervae cultum esse partam etiam hi loci documento sunt, quibus de cultu nihil, sed hoc tantum profertur, quomodo Bellerophon Pegasus nactus sit. Iis autem locis de Pegasi domitu ne verbum quidem fit. Ac scholiasta ABR ad Il. VI 155 haec affert: λαβῶν δὲ (scil. Bellerophon) παρὰ Ποσειδῶνος τὸν Μεδούσης τῆς Γοργόνης Πήγασον πτερωτὸν ἵππον Qualia dona Neptunus etiam aliis, ut Pelopi et Idae, dedit. Cum Bellerophonte autem Neptunus artissime coniunctus est. Nam a nonnullis, quos etiam scholiasta ille sequitur, Bellerophontis pater dicitur¹⁾. Atque Pegasus ipse Neptuni stirps erat. Scholio autem C et Asc. ad Ovid. Ib. 257 Bellerophonti Pegasus a Minerva mittitur: *sed Pallas eius miserata . . . misit ei Pegasus equum alatum*. Quem locum, quamquam domiturae nulla mentio fit, tamen cum hac fabula cohaerere certum est. Ubi Bellerophon Pegasus non Corinthi, sed in Lycia contra Chimaeram dimicaturus accipit. Quod idem etiam apud Mythographum Vaticanum II (131) invenitur: *Quam ille equo Pegaso accepto miseratione deorum . . . impositus prostravit* et apud Tzetam (ad Lyc. 17): οἱ δὲ θεοὶ τούτῳ ἐπτερωμένον ἵππον, ὃν φασὶ Πήγασον, ἀπεστάλαξιν Quos locos ad unum fontem redire pro certo habendum est. Quod autem Pegasus a dis mittitur, ab Homero (Il. VI 183) repetitum esse potest, a quo Bellerophontes θεῶν τεράεσσι πιθήσας Chimaeram superasse dicitur.

Iam vidimus in fabula Corinthia Bellerophontem primum equum frenasse. Quo autem modo Pegaso usus sit, a Pindaro discimus. Domitura enim confecta Bellerophontem protinus in equum insiluisse dicit (Ol. XIII 86/87):

ἀναβάς

δεῦθός ἐνόπλια χαλκῶθεις ἔπαιζεν.

Quae verba plane obstant, ne opinemur Pegasus a Bellerophonte ad currum iunctum esse. Neque in copiosa Pindari

¹⁾ Cf. Usener, Rhein. Mus. LIII (1898) p. 350.

memoria de curru quodam ulla mentio fit. Atque cetera litterarum artisque monumenta conveniunt, quorum ne in uno quidem Bellerophontes curru vehitur.

Quoniam autem Bellerophon primus et frenator et eques putabatur, in indicibus eorum collocabatur, qui primi aliquid fecisse vel invenisse ferebantur. Qualium indicum fragmenta his quidem locis contineri videntur: schol. Pind. ad Ol. XIII 20: ἀποδεδώκασι δὲ τῷ δοκεῖν τὸν Πήγασον πρῶτον ὑπὸ Βελλεροφόντου ἐν Κορίνθῳ κατεξεῦχθαι¹⁾, schol. ad Pind. Pyth. V 6: κέλητα καὶ χαλινὸν πρῶτος Βελλεροφόντης κατέξευξε, ξυνωρίδα Κάστωρ, ἄρμα Ἐριχθόνιος . . .²⁾, schol. ad Pind. Ol. I 139: ἰστέον, ὅτι τὸ μὲν ἄρμα Πέλοψ πρῶτος ἔδειξεν ἐκ Ποσειδῶνος λαβών,³⁾ τὸν δὲ κέλητα Βελλεροφόντης διὰ τὴν πρὸς τὸν Πήγασον ἀνάβασιν, Aristides Bellerophontem nominat τὸν πρῶτον ἐπιτολμήσαντα αὐτῷ τὸν μετάρσιον ἵππέα (εἰς Ποσειδῶνα 29 K.). Apud Plinium, cuius in Historia Naturali (VII 191—209) copiosissimus et veterrimus inventorum index servatus est, legimus: *invenisse equo vehi Bellerophontem* (VII 202). Quem Plinii indicem maximam ad partem e Graecis auctoribus repetitum esse in aperto est.⁴⁾ Quod autem Eichholtzium locum quem laudavimus, ad Asclepiadem, „qui τραγωδούμενα“, revocandum esse opinatur⁵⁾, quem Plinius (I 7) inter auctores omnino a se adhibitos enumerat, Kremmer suo iure refutavit.⁶⁾ Neque enim in scholio ab Eichholtzio allegato (ad Hom. Il. VI 155), cui Asclepiadis nomen subscriptum est, quicquam invenitur, quo coniectura illa stabiliri possit. Praeterea Ed. Schwartz comprobavit subscriptionibus illis per se omnino nondum diiudicari, cuinam auctori scholia singula vel tota vel ex parte attribuenda sint.⁷⁾ Ut primus autem eques Bellerophon in quodam Hygini indice occurrit (fab. 273) item de Graecis repetito. Ubi enumerantur, qui primi ludos instituerint quique

¹⁾ (κατεξεῦχθαι etiam in equo non ad currum iuncto dici constat; cf. Aristoph. Pac. 135, ubi de ipso Pegaso usurpatur.

²⁾ Quamquam Kremmer, de catal. heurem. (1891) p. 7 fieri posse putat, ut hic locus ad librum de re vehiculari scriptum redeat.

³⁾ Quod ab indice quem antea laudavimus, discrepat.

⁴⁾ Cf. Kremmer l. l. p. 99 sq.

⁵⁾ De scriptoribus περὶ ἐβρημάτων (1867) p. 20.

⁶⁾ l. c. p. 103 n. 1.

⁷⁾ Fleckeis. Jahrb. Suppl. XII (1881) p. 405 sq.

victores ibi discesserint. Atque ludis quos Peliae Acastus fecit, Bellerophon equo, curru Iolaus vicisse dicitur: *Bellerophontes vicit equo*.

Iam domiturae fabulam communi consensu Corinthi tantum collocari vidimus.

II. De ceteris fabulis in Graecia ipsa collocatis.

Ipsa autem in Graecia Bellerophon cum Pegaso conexus etiam in Troezeniorum fabula invenitur, quae cum vulgari mytho Corinthio exaequata est. Pausanias enim tradit (II 31, 12): ἔστι γὰρ καὶ Τροϊζηνίοις ἵππου καλουμένη κρήνη καὶ ὁ λόγος ἐς αὐτὴν οὐ διαφόρως τῶν Βοιωτῶν ἔχει. Πηγᾶσφ γὰρ τῶ ἵππῳ καὶ οὗτοι λέγουσι τὸ ὕδωρ ἀνεῖναι τὴν γῆν θιγόντι τοῦ ἐδάφους τῆ ἁπλῆ, Βελλεροφόντην δὲ ἐλθεῖν ἐς Τροϊζήνα γυναῖκα αἰτήσοντα Αἴθραν παρὰ Πιτθέως, πρὶν δὲ γῆμαι, συμβῆναι οἱ φυγεῖν ἐκ Κορίνθου. Quibus verbis praeter originem Hippocrenes alibi tractandam nihil accipimus, quod ad Pegasi fabulam alicuius momenti sit.

Praeterea in Graecia ipsa Bellerophon a Proeto et Stheneboea in Lyciam discedens cum Pegaso conexus occurrit. Quod plus semel in artis operibus expressum est. Nec tamen Pegasus singulare ibi momentum habet. Neque ob aliam causam adest, nisi quod cum Bellerophonte arte cohaeret.

Atque idem de illis monumentis dicendum est, in quibus Bellerophon ad Iobatem, regem Lyciorum, perveniens representatus est. Ubi Pegasus item ut familiaris Bellerophontis socius invenitur. Quae artis opera, cum non tam ad Pegasi quam ad Bellerophontis fabulam pertineant, a me non tractanda sunt, sed in libros supra saepius adhibitos relegasse satis habeo.

Eius quoque fabulae hoc loco brevis mentio fiat, secundum quam Bellerophon in Graeciam reversus Stheneboeam vana spe coniugii deceptam subduxit et in Lyciam rediens ad Melum insulam in mare deiecit. Qua fabula Euripides ad Stheneboeam tragoediam prius anno a. Chr. n. 423 actam utebatur.¹⁾ Quam ad tragoediam vas musei Petropolitani redit,

¹⁾ Cf. Nauck, *Trag. Graec. Fragm.* p. 567 sq.; nuper de Euripidis fabula disseruit Engelmann, *Arch. Stud. zu d. griech. Trag.* (1900) p. 84 sq.

quod rubris figuris artis posterioris ornatum est¹.) Ubi Bellerophon Pegaso in aëre suspensus ad Stheneboeam in mare praecipitatam retro spectat. Quae fabula, cum Pegasus singulari momento careat, et ipsa magis ad Bellerophontem pertinet.

III. De regione, in qua Pegasi Bellerophontisque coniunctio orta sit.

Ceterae autem fabulae, in quibus Bellerophon cum Pegaso conexus invenitur, in Asia atque praeter paucas in Lycia collocantur. Existit igitur quaestio, quamquam in regione Pegasi Bellerophontisque coniunctio primigenia fuerit.

Atque Pegasus e Graecia demum in Asiam translatus esse supra comprobavimus (cf. p. 35). Qua re sane nondum diiudicatur etiam Bellerophontis conexum in Graecia prius quam in Asia notum fuisse. Fieri enim potuit, ut Pegasus una cum Gorgonis fabula in meridiionalem Asiam translatus²) cum Bellerophonte conecteretur, atque ambo in Graeciam relati novarum fabularum causa fierent.

Sed tamen Bellerophontis Pegasi que conexum prius in Graecia familiarem fuisse hoc indicio est. Supra (cf. p. 44) vidimus fabula, qua Pegasus Gorgonis et Neptuni stirps dicitur, nihil aliud spectari, nisi ut Pegasus in quendam generis ordinem referatur. Qualium fabularum cum natura sit, ut postea oriantur, Pegasus antea exstitisse apparet. Praeter hanc autem fabulam, ex qua Pegasus cum Gorgone et Neptuno cohaeret, duae aliae exstant. Quarum ex altera Pegasus unguulae ictu fontes produxisse dicitur. Neque tamen haec pristina de Pegaso fabula esse potest. Nam postea demum eum ad fontes relatum esse suo loco comprobabimus. Quod cum ita sit, una Bellerophontis fabula restat, ad quam Pegasus inde ab initio pertinere potuerit. Atqui exposita Gorgonis

¹) Stephani, Catal. nr. 427; ed. Inghirami, vasi fittili I t. 3; Fisch. p. 82 = E. 77 = St. 2 = v. Pr. VIII 3; cf. Vogel, Scenen eurip. Trag. in griech. Vas.-Gemaeld. (1886) p. 85 sq.

²) Medio aevo Gorgonis fabula exstabat, quae in insula Megiste ante Lyciam sita collocata erat. Quae forte ad priscam antiquitatem redit; cf. Roscher, Gorgon. u. Verw. p. 109 sq.; Max. Mayer, Verhandl. der Goerl. Philol.-Vers. (1889) p. 346.

fabula Pegasus prius in Graecia familiarem, postea in Asiam translatum esse planum factum est. Ergo etiam coniunctio qua Bellerophontis socius est, in Graecia orta atque postea in Asiam perlata est.

Praeterea hoc animadvertendum est. Pegasus ad duo Bellerophontis incepta, caedem Chimaerae et temerariam ad caelum ascensionem, maxime pertinere videbimus. Immo alterum facinus sine Pegaso omnino cogitari non potest. Quoniam summum illud momentum Pegaso sine dubio non e posteriore cum Bellerophonte conexu contingere potuit, apparet ab initio eos coniunctos fuisse. Iam cum Pegasus in Graecia ipsa prius familiaris fuerit, eidem conexus illius origo tribuenda est.

Atque etiam hoc proferatur, quod Homerus ipsam Graeciam Bellerophontis patriam fuisse tenet (Il. VI 155 sq.), quamquam nullum eius facinus ibi collocat.¹⁾ Quod autem Bethius affert Pegasus in vetustissimis Corinthi nummis, Chimaeram in Sicyoniis inveniri, id ad Graecam originem arti Bellerophontis Pegasique conexus parum valere videtur. Nam aetate satis antiqua, quinto a. Chr. n. saeculo, Pegasus etiam in Lyciis nummis occurrit.²⁾

Quod vero alter Lyciae pagus Βελλεροφόντειος (CIG 4325 b³⁾), alter Ἰοβάτειος (CIG 4269 d) nominatur, iniuria Treubero argumentum Graecae Bellerophontis origini maxime contrarium videtur.³⁾ Horum enim locorum nomina aetatis recentioris esse et possunt et videntur. Praeterea in Lycia etiam Γλαύκου δῆμος exstat (Steph. Byz. s. v. Γλαύκου δῆμος, qui Alexandrum Polyhist. sequitur). Nec vero quin Glauci nomen Graecum sit, quisquam dubitat.

Iam vero e Graeca origine Pegasi Bellerophontisque coniunctionis res gravissimae colligendae sunt. Neque enim ea Bellerophontis facinora, quorum fabulae certo in Lycia demum vel omnino in Asia natae sunt, primo ad Pegasus quicquam pertinuerunt. Bellerophontis autem in Lycios insidiantes pugnam Lyciae solum tribuendam esse in promptu est. Quam fabulam primus Homerus narrat (Il. VI 187 sq.),

¹⁾ Cf. Bethe in Paul.-Wiss. Lex. s. v. Bellerophon, III 244.

²⁾ Six. Rev. Num. 1886, nr. 201—220; Head, H. N. p. 571 sq.

³⁾ O. Treuber, Gesch. der Lykier (1887) p. 59.

quem Apollodorus (II 3, 2) et Servius Dan. (ad Verg. Aen. V 118) secuti sunt. Cui pugnae Pegasus interfuisse omnino non traditur. Solymos praeterea Bellerophon vicisse dicitur. Quae gens meridionalis Asiae erat. Sed hac Bellerophontis expeditione nihil nisi Graecorum Solymorumque pugna in fabulam conversa effingitur.¹⁾ Quare etiam hoc Bellerophontis inceptum uni Lyciae ascribendum est. Quodsi apud Pindarum (Ol. XIII 90) Bellerophon etiam in Solymorum pugna Pegaso utitur, posterior haec utique fabula, sive in Lycia orta sive a poetis Graecis ficta est. Atque etiam Amazones Bellerophon superasse fertur. Quod facinus item uni Asiae tribuendum esse certum est. Ipsa enim in Asia Amazones familiares esse constat.²⁾ Utrum vero haec fabula soli Lyciae an universae Ionum Asiae tribuenda sit, disceptari nequit. Etenim Aristides tradit Amazones non solum ad Lyciam, verum etiam circa Cariam et Pamphyliam vagatas esse (Panath. 118). Quodsi Pindarus Bellerophontem etiam in Amazonum expeditione Pegaso vectum esse dicit, idem quod antea de Solymorum pugna iudicandum est.

Restant igitur fabulae, quibus Bellerophon Pegaso auxiliante Chimaeram prostravisse et funestam ad caelum ascensionem conatus esse dicitur. Quae ad incepta Pegasus maximi momenti fuit, ut infra comprobabimus. Quod ipsum documento gravissimo est Pegasus ad illa Bellerophontis facinora ab initio pertinuisse. Atque sola ad illa duo incepta auctores Homerum non secuti Bellerophonti constanter Pegasus tribuunt.

Itaque iam de Chimaerae pugna accuratius disseramus.

IV. De Chimaera a Bellerophonte et Pegaso superata.

1. Ac primum illud maxime mirum est, quod Homerus de Pegasi auxilio nullam mentionem facit. Neque omnino multis in versibus quibus Homerus Bellerophontem celebrat (Il. VI 155 sq.), Pegasus nominatur. Quamquam sunt qui opinentur Pegasus θεῶν τράπεζαι significari, quibus fretus

¹⁾ Nuper J. Ferrante, de Bellerophonte (1896) p. 21 sq. de Solymis egit, cuius ceterum liber minime diligenter factus est.

²⁾ Cf. Toepffer in Paul.-Wiss. I 1745.

Bellerophon cum Chimaera dimicaverit.¹⁾ Causam autem, cur Homerus Pegasus non nominatim afferat, illam putant, quod consulto portenta inferiorum vulgi fabularum non depingat. Attamen Milchhoefer et Meyer ipsi confirmant Homerum Chimaeram, Sirenes, Harpyias proferre. Qualia numina, etsi non omnia copiose describit, tamen saltem nominat. Cur igitur ne nomen quidem Pegasi afferret? Quare viros illos doctissimos sibi parum constare vides. Ac ne τέρατα θεῶν ad Pegasus referantur, etiam illud obstat, quod pluraliter dicta sunt. Quod argumentum O. Rossbach iure illis opposuit.²⁾ Atque versus 171 hic est:

ἀτὰρ ὁ βῆ Λυκίηνδε θεῶν ὑπ' ἀμύμονι πομπῇ.

His vero verbis Pegasus significari ne quis opinetur, haud vereor. Praeterea verba θεῶν τεράεσσι πιθήσας apud Homerum iterum ac saepius inveniuntur, ubi Pegasus certo non spectant. Neque Aristarchus³⁾ neque ceteri antiquitatis interpretes iudicaverunt Homerum illo loco Pegasus significare. Quibuscum plane nobis consentiendum est.

Tamen quaeritur, quomodo Homeri silentium explicandum sit. Atque Heynius quidem existimavit consulto Pegasus non nominatum esse, quod fabula vel illuc non pertinuerit vel aliunde nota fuerit.⁴⁾ Quam viri doctissimi explicationem haud probandam esse in promptu est. Neque enim certo de industria factum est, ut ne nomen quidem Pegasi cum Bellerophonte artissime coniuncti proferretur. Bethius autem Pegasus casu deesse opinatur.⁵⁾ At quominus hoc concedamus obstat, quod ceterae de Bellerophonte fabulae uberrime ab Homero narrantur et Pegasus alibi artissime cum Bellerophonte coniunctum se praebet.

Quae cum ita sint, duplex explicationis ratio superesse videtur. Aut enim Pegasus primo cum Bellerophonte omnino non cohaerebat, ut Homerus pristinam fabulae formam proferret, aut e Lycia fabula tempore progrediente sublatus est.

¹⁾ Milchhoefer, Anfaenge p. 81 n. 2; p. 151; E. H. Meyer, Indogerm. Mythen I (1883) p. 104.

²⁾ Arch. Ztg. XLI (1883) p. 323 n. 28.

³⁾ Cf. Lehrs, Aristarch. ³ p. 178.

⁴⁾ Ad Il. VI 183.

⁵⁾ In Paul.-Wiss. s. v. Bellerophon, III 246.

Nec vero priorem explicandi rationem accipiendam esse argumenta probant, quibus Pegasus cum Bellerophonte ab initio conexum e Graecia postea in Lyciam pervenisse supra evicimus (cf. p. 57 sq.). Pegasus autem primo etiam in Lyciorum fabula fuisse ac sensim sublatum esse accurata loci Homerici consideratione planum fit. Qua in re iam Bellerophontis exitum attingendum est. De quo Homerus haec verba facit (Il. VI 200—202):

Ἄλλ' ὅτε δὴ καὶ κείνος ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.

ἦτοι ὁ καὶ πεδίον τὸ Ἀλφειὸν οἶος ἄλατο,

ὄν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείων.

Cum vero priorem Bellerophontis fortunam uberrime persecutus sit (v. 155—200), exitum, cuius alias copiosissimae narrationes exstant, tribus illis versibus absolvit. Gravius autem illud est, quod ipsum Bellerophontis exitum illic omnino non cognoscimus. Quam contra perspicuis et dilucidis verbis Homerus ad liberorum Bellerophontis exitum usus est (v. 203—205):

Ἴσανδρον δὲ οἱ οὐδὲν Ἄρης ἄτος πολέμοιο

μαρνάμενον Σολύμοισι κατέκτανε κυδαλίμοισιν,

τὴν δὲ (sc. Λαομέδειαν) χολωσαμένη χρυσήνιος Ἄρτεμις ἔκτα.

Causa autem vagi de Bellerophonte sermonis sine dubio haec est, quod auctor versuum illorum ipse nihil iam clari cognitum habuit. Cui rei indicio est, quod duobus trium de Bellerophontis exitu versuum commenta duo continentur, quae enodato campi Aleii nomine ficta sunt. Quas plerumque non fabulas vetustas esse constat. Auctori autem sola ansa campi Aleii supererat, qui in Bellerophontis fabula momenti cuiusdam est. Quod nomen cum et ad ἀλασθαί et ad ἀλεείναι referendum esse interpretaretur, ipse fabulam de Bellerophontis exitu excogitavit

Obscuritas autem illa optime explicatur, si Pegasus e Lyciorum fabula postea sublatum esse ponimus. Altera enim in memoria, quae Bellerophontem cum Pegaso conexum praebet, eum ille exitum habuit, ut ad caelum subvolans a Pegaso deiectus decideret. Quae fabulae forma clara et perspicua est. Neque tamen sine Pegaso cogitari potest. Quo quidem omissa et ascensum et deiectum Bellerophontis evanescere debuisse in aperto est. Quo facto vaga funesti exitus me-

moriam conservari potuit. Atque etiam locus cum Bellerophontis exitio coniunctus facile retineri potuit. Sed tamen fabulam utique obscurari apparet. Obscura autem sunt, quae Homerus de exitu Bellerophontis tradit. Quae quidem obscuritas certo causa fuit, ut posteriores poëtae ceteris rebus omnino Homerum secuti eatenus ab eo discederent, ut Bellerophonti Pegasus attribuerent. Apollodorus autem (bibl. II 3, 2), Servius Dan. (ad Verg. Aen. V 118), Lactantius (ad Stat. Theb. IV 589), qui unum ad Homerum redeunt, exitium Bellerophontis simpliciter omittunt, quippe quod ab illo obscure significatum sit.

Contra si ponimus in pristina de Bellerophontis exitio fabula Pegasus defuisse, non intellegitur, qui postea addi potuerit. Pegaso enim adiecto exitus fabula mutationem subire debuit, qua maior nulla cogitari potest. Quae res ipsa quoque indicio est Pegasus cum Bellerophonte non postea demum in Lycia coniunctum, sed ab initio conexum esse. Quare eum tempore procedente e Lycia fabula sublatum esse videmus.

Iucunda autem atque utilis analogia praebetur nostrate carmine heroico, quod Nibelungenlied nominatur. Septentrionali enim e fabulae memoria Sigurdus equum cui Grani nomen est, possidet. Qui quidem ei opus est, ut per flammam vehi possit, quibus Brunhilda cingitur. Germanorum autem in carmine heroico cum alia fabulosa, tum rationem quae inter Siegfriedum et Brunhildam est, maxime obscuratam esse constat. Quo factum est, ut in Germanorum fabula Grani oblivione extinctus sit.

Causa autem, cur Pegasi memoria evanuerit, eadem fuisse videtur. Nam ea quae magis fabulosa erant, in Lycia obscurata esse confirmari potest. Bellerophontis enim facinororum ab Homero traditorum ea quae certo non ad fabulam pertinent, Solymorum et Lyciorum insidiantium pugna, quibus nescio an Amazonum proelium addendum sit, Lyciae solum ascribenda esse supra comprobavimus (cf p. 58 sq.). Contra Chimaerae pugnam et Bellerophontis ascensum deiectumque fabulosa esse in aperto est. Atque cum his ipsis inceptis Pegasus ab initio cohaeret. Lyciorum autem in fabula ab Homero prodita ascensionis et deiectus vaga quaedam memoria reliqua est. Unde patet in eo ipso incepto quod mi-

nime omnium sine Pegaso cogitari potest, naturam fabulosam obliteratam esse. Quo factum est, ut postremo omnino evanesceret.

Nec vero cur ea quae ad fabulam pertinent, in Lycia obscurata sint, minus ex Homeri loco intellegi potest. Narratione enim quam Homerus de Glauci proavis facit (Il. VI 152 sq.), genealogia Lyciorum regum continetur. Quorum etiam Bellerophontes est, cum rex Lycius filiam ei in matrimonium dedisse feratur (v. 192). Quo facto in gradum regis Lycii depressus naturae sane fabulosae sensim iacturam facere debuit. Egregia autem facinora facilius retineri potuisse in aperto est. Eadem enim laudi totius generis erant. Quale inceptum cum Chimaerae caedes fuerit, in oblivionem non adducta est. Quamquam obliterata Pegasasi memoria documento est fabulosam naturam facinoris illius non iam intellectam fuisse. Contra funesta Bellerophontis ascensio non idonea erat, quae gloriosis rebus a proavis gestis insereretur. Quae causa fuit, ut haec fabula ad extremum paene evanesceret. Cui sententiae etiam hoc favet. Pindarus res a Bellerophonte gestas ad Corinthi gloriam persecutus exitum praetermittit (Ol. XIII 91):

διασωπάσομαι Φοι μόνον ἐγώ.

Quoniam hac digressionem item comprobatum est Bellerophontem et Pegasum ab initio coniunctos fuisse, nunc accuratius scrutemur, quod momentum Pegasus in Chimaerae pugna habuerit.

2. Atque testimoniorum parte satis magna nihil aliud efficitur nisi Chimaeram a Bellerophonte Pegaso vecto interfectam esse. Sane etiam hi loci argumento sunt Pegaso omnino quasdam partes tributas esse. Quenam autem propriae fuerint, incertum est. Tamen locus quo primo Pegasus expeditioni illi interfuisse traditur, documento est maximi eum momenti fuisse. Hesiodus enim (Theog. 325) de Chimaera haec habet:

τὴν μὲν Πήγασος εἶλε καὶ ἔσθλῶς Βελλεροφόντης.

Ubi maxime mirum est et Pegasum priore loco nominari et particula καὶ cum Bellerophonte coniunctum non minus ac dominum ad Chimaerae caedem (εἶλεν) attulisse dici. Quae res causae fuit, ut interpretum posteriorum quidam qui ex

illo Hesiodi versu fabulam ad rationem referre studebant, Pegasus idem ac Bellerophonem valere dicerent. Ut apud Ioannem Diaconum scriptum est: λέγοιτο δ' ἂν Πήγασος νῦν ὁ ἥλιος αὐτός, ὃν καὶ Βελλεροφόντην εἶπομεν; et paulo infra: καὶ αὐτός εἶη Πήγασος καὶ Βελλεροφόντης et: Πήγασος ἂν εἶη, ὃ ἐποχούμενος ὁ Βελλεροφόντης τὴν Χίμαιραν εἶλεν ἢ παγετοῦσα φύξις, τὰ οἶον βέλη τὰ μέλλοντα βέειν ἀφαιροῦσα (Flach p. 319/20). Praeterea in exegesi ad versum illum haec proferuntur: ὁ Πήγασος ὁ Βελλεροφόντης atque paulo infra: ἦν ὁ Πήγασος, ἦγον ὁ ἥλιος ἀνείλε καὶ ὁ Βελλεροφόντης, ἡ δύναμις δηλαδὴ τοῦ ἡλίου. ἢ τὰ φερόμενα βέλη ἀναιροῦσα (Flach p. 393/94). In scholio autem vetere Pegasus dicitur non idem ac Bellerophonem, sed tamen legimus: Πήγασον καλεῖ τὸν συγκεκραμένον θυμόν. ὃς ἔχει συγκεκραμένον τὸ ἄλογον μέρος τῷ λογικῷ (Flach p. 246).

Atque eadem de causa Longpérier¹⁾ et Lennepius²⁾, quibus Goettlingius verbis „auxiliante Pegaso“³⁾ assentiri videtur, existimant e vetustissima fabulae forma Pegasus et ipsum ad caedendam Chimaeram re attulisse. Quamquam huius rei alia testimonia desunt. Nam in ceteris litterarum artisque monumentis Bellerophonem unus monstrum illud interficit. Nec vero qui Hesiodi verba accurate, ut debet, interpretatur, facere potest quin opinioni illi assentiatur.

Praeterea equum in pugna ipsum egisse non res nova atque inaudita est. Ut equus Artybii Persae (Herodot. V 111; cf. Tzetz. Chil. III 988; IV 628) et notus Alexandri Bucephalus in pugnis dominos ungularum ictibus adiuvissse feruntur.⁴⁾ Atque in fabula neograeca vir fortissimus monstrum superavit per equum, qui ipse quoque in aërem se levare poterat. Equus enim monstrum unguis percussit, dominus hasta iuivit.⁵⁾ Equo igitur vel maiores partes tribuuntur. Quod nescio an primo etiam in Pegasus ceciderit, cum illo Hesiodi versu priore loco nominatus sit.

¹⁾ Ann. dell' Inst. XVII (1845) p. 231.

²⁾ Ad v. 325.

³⁾ Ad v. 325.

⁴⁾ A. Marx, Griech. Maerch. v. dankb. Tieren (1889) p. 87.

⁵⁾ „und der Herr half mit seiner Gabelanze“; v. Hahn, Griech. und Alb. Maerch. (1864) I p. 307 sq.; p. 311/12.

Atque Hahnus ipsam hanc fabulam neograecam Chimaerae a Pegaso et Bellerophonte caesae persimilem esse dicit.¹⁾ Neque in fabulis Indorum similia non inveniuntur. Indra enim ab equis suis seiunctus homini infirmo aequalis est. Nec vero equis eius hostes resistere possunt. Atque equi Agnii hostes pedibus anterioribus prosternunt. Firdusius autem equum Rustemii monstrum quoddam superantem facit, dum dominus dormit.²⁾

Servata autem veterum testimonia Pegasus quamquam ipsum in Chimaerae pugna egisse non dicunt, tamen magnas partes sustinuisse concinunt.

Quae res iam inde elucet, quod semper Pegasus Bellerophonti ad caedendam Chimaeram tribuitur. Praeterea locus Euripidis documento est, qui quidem in Achillis clipeo cum alia tum Chimaerae pugnam fictam fuisse dicit (Electr. 472 sq.):

περιπλεύρω
δὲ κῦτει πύρπνοος ἔσπευ-
δε δρόμῳ λέαινα χαλαῖς
Πειρηναῖον δρῶσα πῶλον.

Illic igitur Pegasus Chimaerae hostis nominatur, nec vero Bellerophon, quamquam certo affuit. Denique Pegasus si in testimoniis servatis ipse pugnae partem non capit, tamen summi momenti est, cum Bellerophontem in aëre suspensum ferat. Quod cum ita sit, Chimaera Bellerophonti non nocere, ipse vero tela certa in monstrum iacere potest. Ut Pindarus (Ol. XIII 88) dicit Bellerophontem Pegaso suspensum tela misisse

αἰθέρος ψυχρᾶς ἀπὸ κόλπων ἐρήμων,
et „Apollodorus“ (bibl. II 3, 2): ἀρθεῖς εἰς ὕψος ἀπὸ τούτου κατετόξευσε τὴν Χίμαιραν et Eustathius (ad Il. VI 200 sq. = 636, 36 sq.): Βελλεροφόντης Πηγᾶσῳ ἀέριος ἀρθεῖς. Atque idem Apuleius testatur, si alas Pegaso attributas inde explicandas esse putat, quod *in altum et adusque coelum* subsiluerit formidans igniferae morsum Chimaerae (Met. VIII 552).³⁾ Belle-

¹⁾ Ibid. I p. 35; II p. 256.

²⁾ Gubernatis, die Thiere in der indogerm. Mythol. (1874) p. 261.

³⁾ In pictura vasis Boeotici quinto a. Chr. saeculo ascribendi Pegasus alatus Chimaerae timore adductus re vera recedit. Bellerophon et ipse in risum obscoenum deflexus Pegasus promovere studet; ed. Athen. Mitt. XIII (1888) tab. 11 p. 421.

rophontem autem ipsum Pegasi auxilio tutum hi Ausonii
versus repraesentant (epist. XXV = p. 271, 21 P.):

*triplici furentem qui Chimaeram incendio
supervolavit tutus igne proximo.*

Atque Bellerophontem nisi Pegaso iuvante Chimaeram superare
non potuisse Horatius hac comparatione testatur (c. I 27
23/24):

*vix inligatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.*

Atque etiam loci antiquitatis infimae, quibus Minerva vel di
misericordia commoti Bellerophonti ad Chimaeram caedendam
Pegasus miserunt (cf. p. 54), indicio sunt victoriam sine
Pegaso reportari non potuisse.

Magnum vero hoc Pegasi momentum etiam artis opera
testantur. Quorum in plerisque Bellerophon Pegaso vectus
tutus in aëre volat. Quae omnia enumerare atque describere
inutile est. Neque enim quicquam aliud docent, quod ad
Pegasi fabulam melius intellegendam aliquam vim habeat.
Quare in libris relego quibus monumenta illa congesta vel
depicta sunt.¹⁾ Nec vero in aliis artis operibus Pegasus in
terra est nisi in noto anaglypho Melio, ubi alis caret, et in
gemma cuius Stephanius mentionem facit.²⁾ Is tamen vir
doctissimus iniuria dicit etiam quoddam musei Luporensis
vas rubris figuris pictum excipi.³⁾ Immo etiam illic Pegasus
supra solum levatum esse Engelmannus recte animadvertit.⁴⁾
Quamquam in pictura vasis Apuli Bellerophon a Pegaso
descendit atque pedibus cum Chimaera pugnat.⁵⁾ Attamen
ipsum illud quod Pegasus quamquam momento caret, tamen
repraesentatus est, indicare potest, quam non a Chimaerae
pugna seiungi possit.

Ceterum magnum illud momentum plane summis partibus
respondet, quas Pegasus in Bellerophontis deiectu sustinere
iamiam videbimus.

¹⁾ Fischer l. c. p. 65 sq.; Engelmann l. c. p. 17 sq.; Stephani p.
36 sq.; v. Prittwitz-Gaffron p. 41 sq.

²⁾ Ibid. p. 37.

³⁾ Ed. Engelmann, Ann. dell' Inst XLVI (1874) tab B.

⁴⁾ Ibid. p. 20.

⁵⁾ Ed. Gerhard, Apul. Vasenbild. t 8

Quoniam enim de Chimaerae pugna diximus, nunc fabulam quae de Bellerophontis ascensu et deiectu est, tractemus.

V. De Bellerophonte a Pegaso sublato et delecto.

1. Atque Pegasus quidem subvolasse iam Hesiodus profert. Pegasi enim Chrysaorisque origine narrata atque nominibus enodatis haec dicit (Theog. 284 sq.):

χῶ μὲν ἀποπτάμενος προλιπὼν χθόνα μητέρα μήλων·
 ἔκει' ἐς ἀθανάτους, Ζηγὸς δ' ἐν δώμασι ναίει
 βροντὴν τε στεροπὴν τε φέρων Διὶ μητιόεντι.

Quibus in versibus Bellerophontis sane nulla mentio fit. Sed argumentis evinci potest etiam illam Pegasi ascensionem ad Bellerophontis inceptum temerarium referendam esse, id quod infra, ubi de Pegaso in Iovis aedes elato disseremus, probabimus.

Primus autem Pindarus dilucide dicit Bellerophontem Pegaso vectum ad caelum subvolasse. Atque Bellerophontem illud ausum esse dicit (Isthm. VI (VII) 45 sq.):

ἐθέλοντ' ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς
 ἔλθεῖν μεθ' ὁμάγουριν Βελλεροφόνταν
 Ζηγὸς.

Scholiasta autem vetus recte explicat Bellerophontem ἐς θεῶν ἄθροισμα pervenire voluisse. Alio vero loco Pindarus miserum Bellerophontis exitum praetermisit, ne quid parum apti laudibus Corinthi hac ipsa in urbe celebratis admisceret (cf. p. 63). Iam Dionysius Periegeta Bellerophontem Pegaso usum ἐς Διὸς ἴεμενον se levasse dicit (v. 871). Quod idem Eustathius (ad Il. VI 200 sq.) profert Dionysium, ut videtur, secutus. Quos quidem idem ac Pindarum in mente habuisse pro certo affirmare licet. Atque etiam Eustathius diserte addit Bellerophontem a Iove deiectum esse, nempe ut ab aede sua eum propulsaret.

Bellerophontem vero eo consilio subvolasse, ut in deorum sedem perveniret, de pristina fabulae forma certo denegandum est. Caelum enim commune domicilium deorum esse, quorum Iuppiter princeps sit, epicorum demum carminum vi et auctoritate usquequaque valere coepit. His autem carminibus fabulam ascensus Bellerophontei aetate multo priorem esse in promptu est. Atque etiam apud Homerum hanc fabulam maxime obscuratam esse vidimus.

Alio autem consilio Bellerophontem subvolasse Euripides testis est. Qui quidem ascensum deiectumque in tragoedia quae Bellerophon inscribatur, tractavit. Quam fabulam prius anno a. Chr. n. 425 actam fuisse Aristophanes testatur (Acharn. 426). E fragmentis postquam multi viri docti fabulae illius oeconomiam definire studuerunt, novum conamen adiungere supersedeo. Neque enim hoc ad Pegasi fabulam quicquam valeret. Euripidis autem fabulam maxime Pace Aristophanis et scholiis ad hanc comoediam servatis cognitam habemus. Qua fabula Aristophanes Bellerophontem Euripideum in risum deflectit, cum Trygaeum rusticum cantharo ad caelum subvolantem facit. Atque Eubulus ipsum ridiculum Bellerophontem composuit. Qui cum etiam alias Euripidis tragoedias in risum deflexerit, Meinekius sine dubio recte coniecit illam Eubuli comoediam ad Bellerophontem Euripidis spectasse.¹⁾ Hos autem versus Eubulus Bellerophontem anxie loquentem facit (= Athen. XV 666 p. 473, 18 sq. K.):

τίς ἂν λάβοιτο τοῦ σκέλους κάτωθι μοι;

ἄνω γὰρ ὡσπερ κοττάβειον αἵρομαι.

Atque comoediam quandam Lucillius, qui Neronis aetate fuit, hoc epigrammate respicere videtur (A. P. XI 392):

Μύρμηκος πτερύεντος ὑπὲρ νότιοιο καθεσθεῖς

Ἄδραστος ῥήτωρ τοῖον ἔλεξεν ἔπος·

ἴπτασο, τὸν σὸν ἔχεις, ὦ Πήγασε, Βελλεροφόντην,

φέρτατον ἡρώων, ἡμιδανῆ σκελετόν²⁾.

Nec vero apud Euripidem Bellerophon deorum sedem consecuturus subvolat. Neque enim deos esse credit (frg. 286 N.). Sed ut aetheris naturam perspiciat, Pegaso se levat. His enim verbis Pegasus alloquitur:

ἴθι χρυσοχάλιν' αἴρων πτέρυγας (frg. 307 N.)³⁾

πάρες, ὦ σκιερὰ φυλλάς, ὑπερβῶ

κρηναῖα νάπη, τὸν ὑπὲρ κεφαλῆς

αἰθέρ' ἰδέσθαι σπεύδω, τίν' ἔχει

στάσιν Εἰνυδίας (frg. 308 N.).

¹⁾ Fragm. comicorum I 360.

²⁾ Cui alterum eiusdem epigramma persimile est A. P. XI 104, quod Ausonius ep. 122 vertit.

³⁾ Frenum aureum etiam apud Pindarum occurrit: Ol XIII 65; 78.

Talem vero Bellerophontem Euhemero dignum a pristina fabulae forma abhorreere in promptu est. Neque magis dubium est, quin Euripides ipse finxerit Bellerophontem virum in cognoscenda rerum natura temerarium. Atque eidem ascribendum sit, quod Pegasus subvolans anxius fuisse dicitur (frg. 309 N.):

ἐπτησσ' ὑπέικων μάλλον ἢ μάλλον θέλοι.

Quae verba non ad Pegasus Bellerophonte lapsa solum subvolantem, sed ad antecedentem Pegasi ac Bellerophontis ascensum referri certum est. Neque enim Pegaso solo subvolante ullus coactus exstabat, ut ὑπέικειν et θέλειν iuste opponi possent. Neque si ita esset, intellegi posset, cur Euripides Pegasus timentem fecisset. Quod per se apparet, si versum illum ad ascensum Pegasi ac Bellerophontis refers. E timore enim equi alitis, cui regio aerea familiaris esse solet, Bellerophontis audacia ac temeritas magis elucet.

Ab Euripide autem sine dubio repetitum est, quod scholiasta ad Hom. II. VI 155 („Asclepiades“) = Et. M. s. v. Ἀλήριον item dicit Bellerophontem τὸν οὐρανὸν κατοπεῦσαι studentem subvolasse. Atque etiam Lucianus vel qui auctor est libelli περὶ ἀστρολογίης (13) Euripidem respicere videtur. Qui etiam Pegasus fabulosa natura privans hanc explicationem profert: ἐγὼ δὲ καὶ περὶ Βελλεροφόντεω τοιαύδε φρονῶ πτηνὸν μὲν οἱ γενέσθαι ὡς ἵππον οὐ μάλα πείθομαι, δοκέω δὲ μιν ταύτην τὴν σοφίην (scil. astrologiam) μεθέποντα ὑψηλά τε φρονέοντα καὶ ἀστροισιν ὁμιλέοντα ἐς οὐρανὸν οὐχὶ τῷ ἵππῳ ἀναβῆναι, ἀλλὰ τῇ διανοίῃ. Neque minus Palladas Euripidis vestigia premit. Uno enim ex octo epigrammatis quibus Gessium de spe consulatus misere deiectum irridet, haec profert (A. P. VII 683, 5/6):

οὕτω Πήγασος ἵππος ἀπώλεσε Βελλεροφόντην
βουληθέντα μαθεῖν ἀστροθέτους κανόνας.

Atque etiam audaciam Bellerophontis aequae atque Euripides praedicat (ibid. v. 7):

ἀλλ' ὁ μὲν ἵππον ἔχων καὶ θαρσαλέον σθένος ἦβης.

Quod autem semel atque iterum Bellerophon Pegaso εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν (schol. ad Aristoph. Pac. 76; ad Dionys. Perieg. 870) vel *ad caelum contendere* conatus esse dicitur (Hyg. astr. II 18), propria fabulae forma certo non intelle-

genda est. Ceterum haec verba cum memoria et Pindari et Euripidis conveniunt, prout οὐρανός aut sedes deorum intelligitur aut caelum, cuius pars superior ex aethere, inferior ex aere constat.

Bellerophon Pegaso vectus tam alte ferebatur, ut a caelo non iam multum abesset. Ut apud Hyginum legimus: *cum ad caelum contenderet evolare neque longe iam abesset . . .* (astr. II 18); et apud „Oppianum“ (Cyneg. I 231):

ἵππος ὑπὲρ νεφῶν χιμαροκτόνον ἤγαγε φῶτα,
et in Anth. lat. (I 97 Riese):

*victor Gorgoneo nubila tangit equo*¹⁾,

et apud Nonnum Bellerophontem iam ad ἀντυγα οὐρανίην pervenisse (Dionys. XXXVIII 405).

2. Tam alte Bellerophon subvolaverat, cum praeceps decidit.

Quamquam vereor, ne quis e loco Hygini coniciat Bellerophontem post ipsam Chimaerae pugnam a Pegaso delapsum esse. Haec enim Hyginus profert: *hanc* (scil. Chimaeram) *super Pegasus sedens interfecit et decidisse dicitur in campos Aleios, unde etiam coxas eiecisse dicitur* (fab. 57). Atque scholia ad Ovid. Ib. 255 sine dubio Hyginum secuta illam verborum interpretationem continent. Etenim in schol. G (Ellis) haec dicuntur: *Bellerophon . . . missus est, ut Chimaeram interficeret: a qua rediens cecidit in campis Liciae ibique crus sibi fregit*, et in schol. C: *quo* (scil. Pegaso) *ascenso Chimaeram superavit, sed inde victor rediens in campis Liciae* (haec verba uno in codice C, sequentia etiam in codice Asc. inveniuntur) *de equo cecidit et sibi crus fregit*. Ovidius autem ipse his verbis utitur (Ib. 255):

quique ab equo praeceps in Aleia decidit arva.

Ubi de Bellerophontis ascensu nihil sane dicit; sed in Ibide cum permultas alias fabulas tum Bellerophontis brevissime perstringit, quia exemplis solum utitur. Neque Ovidium Bellerophontis lapsum post ipsam Chimaerae caedem factum intellexisse etiam casus accusativus *Aleia arva* documento est: alioquin ablativus exspectaretur. Neque magis Hygini ver-

¹⁾ Huius epigrammatis auctorem Ovidium Fast. III 450 imitatum esse Manitius sine causa opinatur Philol. suppl. VII p. 725.

bis de illo Bellerophontis lapsu cogitare cogimur. Quodsi ipse de Bellerophontis ascensu mentionem non facit, tamen ne illud quidem dicit lapsum post ipsam Chimaerae caedem accidisse. Atque Hyginum non de illo lapsu cogitasse accusativus *campos Aleios* indicio est, cum scholiastae Ibidis verba Hygini perperam interpretati casu ablativo utantur. Denique cetera testimonia omnia concinunt Bellerophontem post sublimem ascensionem in Aleios campos deiectum fuisse.

Quae vero causa fuerit, ut Bellerophon delapsus sit, neque Ovidius neque Hyginus illo loco dicunt. Neque alii auctores quicquam nisi ipsum casum proferunt. Ut „Eratosthenes“ Pegasus ὑστερον τῆς Βελλεροφόντου πτώσεως (Catast. XVIII) ad sidera subvolasse narrat; quem scholiasta G ad Germ. Arat. p. 141; 5/6 Br. secutus est, qui Pegasus *post Bellerophontis interitum* altius se levasse dicit; atque scholiasta ad Arist. Pac. 147 affert Euripidem Bellerophontem claudicantem fecisse διὰ τὸ πεπτωκέναι ἀπὸ τοῦ Πηγάσου; denique in schol. ad Pind. Ol. XIII 91 Bellerophon πεσὼν ἐκ τοῦ Πηγάσου claudus fuisse dicitur.

Altero autem Hygini loco hoc scriptum est: *Bellerophon] cum ad caelum contenderet evolare neque longe iam abesset, despiciens ad terram timore permotus decidit ibique perisse dicitur* (astr. II 18). Unde causa timoris in Bellerophontem translata sit, non traditur. E Phaethontis autem fabula sumpta esse vel ad comoediam quandam redire potest, qua temerarius Euripidis Bellerophon irridebatur. Quod Eubulum fecisse antea vidimus (cf. p. 68).

Quodsi ex hoc Hygini loco natura Bellerophontis ipsius lapsus causa adducitur, aliis testimoniis Iuppiter auctor deiectionis fertur. Qui Pegasus oestro imposito impulsisse dicitur, ut Bellerophontem excuteret. Quod his locis narratur: schol. ad Hom. Il. VI 155 = Et. Magn. s. v. Ἀλήιον: τὸν δὲ Δία μνήσαντα οἶστρον ἐμβαλεῖν τῷ Πηγάσῳ, ὥστε ἐκπεσεῖν τὸν Βελλεροφόντην; schol. ad Pind. Ol. XIII 91: κατὰ βούλησιν τοῦ Διὸς οἶστροθέντος τοῦ Πηγάσου ἐκπίπτει; schol. vet. ad Dionys. Perieg. 870: καταβληθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ¹⁾ . . . ἔπεσεν; Eustath. ad Hom. Il. VI 200 sq. = 636,36 sq., qui dicit Homerum

¹⁾ Iovem saepe simpliciter τὸν θεόν nominari constat.

cum alia ignorasse tum illud, ὅτι βληθεὶς οἴστρω χόλω Διὸς ἐν Κιλικίᾳ ἢ Λυκίᾳ τὸν ἀναβάτην Βελλεροφόντην κατέρριψεν. Qui loci redeantne in Euripidis Bellerophontem, parum certum est. Neque enim ullum firmum fulcrum ad coniectandum reperitur in illa tragoedia deiectionis a Iove adductae memoriam factam esse.

Denique complura testimonia proferenda sunt quibus non Iuppiter, sed Pegasus ipse Bellerophontem deiecisisse fertur. Quae quidem haec sunt: Pind. I. VI (VII) 44/45:

ὁ τοι πτερόεις ἔρριψε Πάγασος

δεσπόταν;

Horatius c. IV 11, 26 sq.

ales

Pegasus terrenum equitem gravatus

Bellerophontem;

Palladas A. P. VII 683, 5:

Πήγασος ἵππος ἀπώλεσε Βελλεροφόντην;
lemma ad A. P. III 15¹⁾ κατενεχθεὶς ὑπὸ τοῦ Πηγάσου²⁾; Nonnus
Dionys. XI 144 sq.:

καὶ ξυνῆς μεθέπων Ποσιδήϊον αἶμα γενέθλης
ἠερόθεν προκάρηνον ἀπόσπορον Ἐννοσιγαίου
Πήγασος ὠκυπέτης ἀπεσεΐσατο Βελλεροφόντην;

XXVIII 164 sq.:

καὶ τις ὑπὲρ λαπάρην βεβολημένος ἵππος διστῶ
εἰς πέδον ἠκόντιζεν ἀπόσσυτον ἠνιοχῆα,
οἷος ἀερασιπότητος ἀλήμονι σύνδρομος αὔρη
Πήγασος ὠκυπέτης ἀπεσεΐσατο Βελλεροφόντην;

XXXVIII 403 sq.:

καὶ κοτέων πτερὰ πάλλεν ὅπως πάλιν ἠνιοχῆα
ἄλλον (scil. Phaethontem) ἀκοντίσσειεν ἀπ' αἰθέρος, οἷα καὶ αὐτὸν
ἄντυγος οὐρανίης ἀπεσεΐσατο Βελλεροφόντην.³⁾

Artis vero monumenta quae iure ad Bellerophontis ascensum aut lapsum referantur, desunt. Neque enim notum

¹⁾ De fide horum lemmatum conferas C. Rädinger, Beitrage fuer Wachsmuth p. 116 sq.

²⁾ ὑπὸ non ἀπὸ in codice scriptum esse Stadtmueller ad locum diserte dicit.

³⁾ Omnes locos tres eadem clausula terminari vides; cf. p. 12.

anaglyphum Spadanum cum Bellerophontis exitu cohaerere¹⁾ iam supra vidimus (cf. p. 50). Atque in gemma quadam a Thorlacio, Fischero, Engelmanno iniuria cum Bellerophontis lapsu coniuncta domitum potius Pegasi repraesentatum esse item antea diximus (cf. p. 49). Engelmannus autem opinatus est etiam in anaglypho lucernae fictilis quae erat penes Baronium Neapolitanum, Bellerophontis exitium expressum esse. Quod artis opus his verbis describit: *il Pegaso, che ha gettato a terra il suo cavaliere, sta volto alla destra; Bellerofonte, giacente sul suolo tiene ancora la briglia colla sinistra, mentre nella destra tiene una ascia. Gli hanno dato intieramente il vestito dei cocchieri romani; egli ha una tunica, delle funi intorno il corpo, ed ha la testa coperta di una berretta simile ad un' elmo.*²⁾ Similis autem lucerna nunc Vindobonae est in museo, quod K. K. Oesterr. Mus. f. Kunst u. Ind. nominatur. Etiam Masner, eam his verbis describens: *Pegasus und Circuskutscher. Braunschwarzer Ueberzug, ehemals bei Raff. Barone . . . Circuskutscher in Vorderansicht auf dem r. Knie, in der R. Peitsche, fasst mit umgewendetem Kopfe emporblickend, mit der L. die Zuegel des nach r. gewendeten P. (der ihn abgeworfen hat?)*³⁾ ad Bellerophontem deiectum referendam esse opinatur. Sed haec interpretatio improbanda est. Etenim eques habitum circensem prae se fert, id quod ad Bellerophontem minime quadrat⁴⁾. Atque equus alatus iuxta equitem in solo stat. Si ad Bellerophontis lapsum referendum esset, multo etiam magis quam in Chimaerae pugna exspectaretur, ut equus pennatus supra solum volaret. Immo equus alatum equum etiam freno retinet. Quod cum Bellerophontis fabula nullo modo sociari posse apparet. Multo vero minus Etruscum quoddam speculum cum Bellerophontis exitio cohaerere Engelmanno concedendum est.⁵⁾ In quo supra equum alitem iuvenis et ipse pennis praeditus volat. Qui quominus Bellerophon praecipitaturus cognoscatur, ipsae iuvenis alae plane obstant.

¹⁾ Sic E. Braun, XII Basrel. nr. 1; Welcker, Alte Denkm. II p. 317; Fischer l. c. p. 83.

²⁾ Engelm. l. c. nr. 80; cf. Arch. Anz. (1864) p. 263.

³⁾ K. Masner, Catal. nr. 686.

⁴⁾ Stephani, Comptes-Rendus (1881) p. 22.

⁵⁾ Gerhard, 118 = Engelm. nr. 79.

Iam fabulae afferantur, in quibus pariter equis partes magnae tribuuntur. Atque similem de Adrasto et Arione fabulam Wilamowitzius exempli causa posuit¹⁾. Praeterea multum valet etiam Glaucos, patri Bellerophontis, equos exitio fuisse²⁾. Quin etiam eos extremo dominum suum comedisse constat. Iam vero Adrastus ludis Nemeis in Archemori honorem institutis Polynici equum Arionem utendum dedisse dicitur (Stat. Theb. VI 301 sq.; cf. Propert. II 34, 38). Arion autem indignatus Polynicem deiecit (*iratus oneri insolito* v. 427; *aurigam fugit, aurigae furiale minatur efferus* 429) ac solus metam contigit. Quam fabulam Romanorum poetas e carmine quodam aetatis Alexandrinae sumpsisse verisimile est, quod ipsum a vetere Thebaide repetitum erat. Atque etiam de equo Seiano mentio fiat. Qui quidem a Thraciis Diomedis equis ortus esse fertur. Aequae autem atque anulus Nibelungorum omnibus qui possidebant, exitio fuit. Quo factum est, ut de hominibus calamitosis diceretur: *ille homo habet equum Seianum* (Gell. III 9)³⁾.

VI. De Pegasi fortuna Bellerophontis exitium secuta.

a. De Pegaso Iovis ministro.

Iam reliquum est, ut illae fabulae tractentur quae de posteriore Pegasi fortuna erant.

1. Ac primum quidem Pegasus in aedem Iovis subvolasse fertur. Cuius rei iam Hesiodi versibus quos supra citavimus, mentio fit (Theog. 284 sq.):

χῶ μὲν ἀποπτάμενος προλιπὼν χθόνα μητέρα μήλων
ἔκετ' ἐς ἀθανάτους· Ζηνὸς δ' ἐν δώμασι ναίει
βροντὴν τε στεροπὴν τε φέρων Διὶ μητιόεντι.

Pegasus igitur alis suspensus in posterum deorum in aede moratur. Ac Pindari quodam loco quem paulo post afferemus, nihil nisi hoc dicitur. Apud Hesiodum autem φέρων vox sine dubio cum Ζηνὸς ἐν δώμασι ναίει coniungenda insuper significat, quid Pegasus postea in Iovis domo agat.

Nec vero Pegasus hoc domicilio nonnunquam decedere ullo modo dicitur. Immo Hesiodi verba plane obstant, ne

¹⁾ Griech. Trag. II p. 226 sq.

²⁾ Cf. Wilisch in Rosch. M. L. s. v. Glaucos I 1688 sq.

³⁾ Cf. etiam notum Uhlandii carmen quod inscribitur „die Rache“.

quis id statuatur. Quae cum ita sint, eorum opinio refutatur, qui ex Hesiodi verbis colligunt Pegasus Iovi fulmen tonitrumque atque a Cyclopiibus afferre ¹⁾. Qui viri docti Hesiodi versus certo ea de causa ita interpretati sunt, quod Pegasus ad nubem fulmen tonitrumque complexam referebant, quae ab occasu ad caelum ascendat.

Neque tamen quomodo Pegasus fulmen et tonitrum ferat, Hesiodus profitetur. Hoc vero gravissimum est, quod illam Pegasi ascensionem cum Bellerophontis deiectione cohaerere ne verbo quidem significat.

Quem rerum conexum primus Pindarus testatur. Loco enim quem plus semel attulimus (Ol. XIII 91/92), dicit: *διασωπάσομαι Φοι μόνον ἐγώ· τὸν δ' ἐν Οὐλύμπῳ φάτναι Ζηνὸς ἀρχαῖαι δέκονται.* Quale autem munus Pegasus postea susceperit, Pindarus silentio praeterit. Perperam autem scholiastae eius verba ad catastasterismum Pegasi referunt. De quo alibi dicendum est. Quodsi in scholio quodam vetere dicitur: *ὁ Πήγασος ἀπενόστησεν εἰς τὸν οὐρανόν*, hoc certo e verbis *ἀρχαῖαι φάτναι* coniectura demum collectum est.

Praeterea apud Euripidem legimus Pegaso post Bellerophontis lapsum fortunam illam obtigisse. „Bellerophontis“ enim in epilogo Minervam cum alia tum Pegasi sortem nuntiasset omnes viri docti consentiunt. Atque haec quidem verba Euripides Minervam loquentem fecit:

ὄψ' ἄρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ (frg. 312 N.).

Neque hoc loco magis quam apud Hesiodum de fulmine aliunde allato agi apparet. Euripidem autem ab Hesiodo ita discrepare, ut tonitru praetermisso solum fulmen a Pegaso portari faciat, nihil interesse videtur. Sed ne hoc quidem, quod rursus Hesiodus currus mentionem non facit, urgendum est. Verisimile enim est Hesiodum ipsum quoque Pegasus ad currum Iovis iunctum finxisse.

Iam vero scholiasta R Il. VI 155 („Asclepiades“)²⁾ Bellerophontis fortunas persecutus τὸν δὲ Δία αἰτ θεῖσθαι τοῦ κεραυνοῦ ταμίαν τὸν Πήγασον. Contra in scholiis A B ad hunc

¹⁾ Cf. Goettling-Flach ad loc.; Roscher, Gorg. u. Verw. p. 115; alii.

²⁾ Codicem R(omanum) esse veterrimum Schimberg, Philol. III N. F. (1891) p. 423 sq comprobavit.

locum, cui item nomen Asclepiadis subscriptum est, narratur: τὸν δὲ ἵππον λαβεῖν τὴν Ἥῳ δεηθεῖσαν τοῦ Διὸς δῶρον πρὸς τὸ ἀκόπως περιέναι τὰς τοῦ κόσμου περιόδους. Hanc autem fabulae formam illam quae in cod. R traditur, respicere verba δεηθεῖσαν Διὸς δῶρον λαβεῖν documento sunt. Memoriam autem in cod. R proditam ad Euripidem redire I. Panzer putat.¹⁾ Atque hanc memoriam causam fuisse opinatur, ut scholio nomen Asclepiadis subscriptum sit, praesertim cum reliqua scholii narratio a vulgari fabula nihil abhorreat. Attamen illa verba codicis R ad Euripidem redire negandum est. Neque enim Pegasus ταμίαν τοῦ κεραυνοῦ factum esse ex Euripidis verbis, quibus ad currum iunctus dicitur, ullo modo explicari posse videtur. Facillime vero illud ex Hesiodi verbis:

Ζηγὸς δ' ἐν δώμασι ναίει

βροντὴν τε στεροπὴν τε φέρων Διὶ μητιόεντι oriri potuisse consentaneum est. Patet igitur illis verbis codicis R interpretationem Hesiodi contineri, ut saepe apud auctores mythographos, „Apollodorum“ aliosque. Ceterum ne in ea quidem re Panzero assentiendum est, quod reliquam scholiastae narrationem cum vulgari fabula concinere dicit. Supra enim (cf. p. 86 sq.) vidimus Bellerophontem τὸν οὐρανὸν κατοπτέουσαι περῶμενον (sic schol. R.) ipsius Euripidis proprium esse.

Atque etiam hunc locum non ad Euripidem, sed ad Hesiodum redire apparet: ἱερός δὲ ὁ ἵππος ἦτοι ὅτι . . . ἦ ὅτι βροντὴν καὶ ἀστραπὴν φέρει, καθὼς ἐμπερήσ ἐστι τῷ Διὶ (schol. ad Arat. Phaen. 215). Ubi verbis καθὼς ἐμπερήσ ἐστι τῷ Διὶ item Hesiodi interpretatio continetur. Ac Pegaso eadem fere partes tributae videntur, quae supra voce ταμίου significatae erant. Ex Arateis autem scholiis sumptum esse videtur schol. Germanic. G p. 140, 24, quo dictum est Pegasus e nonnullorum sententia inter sidera collocatum esse, quod Iovis equus fuerit.

Iam vero existit quaestio, quae ratio inter ipsa vetustissima testimonia intersit. Neque Euripidem cum brevissima fabulae mentione a Pindaro facta cohaerere in promptu est. Euripides enim Pegasus ad Iovis currum iunctum fulmen ferre dicit. Quae clara ac dilucida fabula nullo modo e vagis Pindari verbis:

¹⁾ De Myth, Homeric restituedo (1892) p. 21 n 1.

τὸν δ' ἐν Οὐλύμπῳ φάτναι Ζηγὸς ἀρχαῖαι δέκονται
 hausta esse potest, quibus de Pegasi in Olympo munere ne
 verbum quidem fit. Multo autem propius ad Euripidis verba
 Hesiodus accedit:

Ζηγὸς δ' ἐν δώμασι ναίει

βροντὴν τε στεροπὴν τε φέρων Διὶ μητίεοντι.

Quaerendum igitur est, possitne fieri, ut Euripides vel etiam
 Pindarus ad Hesiodum redeant. Ne autem hoc censeas, illud
 obstare videtur, quod Hesiodus de nexu Pegasi ascensus cum
 Bellerophonte nihil dicit. Immo ex Hesiodi verbis Pegasus
 post ipsam Gorgonis caedem ad Iovem se levasse videtur.¹⁾
 Attamen ab hac interpretatione dissentiendum est. Ac pri-
 mum utique non cogimur, ut ascensum Pegasi ab Hesiodo
 traditum post ipsam Gorgonis caedem evenisse existimemus.
 Pegasi enim ascensio v. 285/86 prolata a caede Gorgonis
 duobus versibus seiuncta est, in quibus Pegasi Chrysaorisque
 veriloquia afferuntur. Praeterea si v. 287 dicitur:

Χρυσάωρ δ' ἔτεκεν τρικέφαλον Γηρυονῆα,

cui quidem versui verba γῶ μὲν ἀποπτάμενος plane respondent²⁾,
 nemo Chrysaorem post ipsam Gorgonis caedem Geryonem
 genuisse arbitratur. Ac fabulam ex qua Pegasus post Belle-
 rophontis deiectum altius evolans in Iovis aedem pervenit,
 vetustissimam esse vidimus. Nam apud Homerum iam obscu-
 rata est. Quodsi Hesiodi verba non ipsa quoque ad Belle-
 rophontis fabulam spectarent, duo Pegasi ad Iovem ascensus
 ponendi essent, quorum alter post ipsam Gorgonis caedem,
 alter post Bellerophontis deiectum evenisset. Duplex autem
 Pegasi ascensio minime verisimilis est. Quoniam Pegasi as-
 census et ad Bellerophontis fabulam utique pertinet, nec
 quicquam obstat, ne etiam Hesiodi verba ad eandem fabulam
 referantur, ipsa ea verba optimo iure cum fabula illa con-
 iunguntur. Atque etiam natura fabulae quae de Pegasi ge-
 nere fertur, documento est illos Hesiodi versus ad Belle-
 rophontis fabulam revocandos esse. Aequae enim ac similes
 fabulae supra plus semel adhibitae etiam ea quae de Pegasi
 genere est, nihil nisi genealogiam spectat. Quod cum ita sit,

¹⁾ Qua in interpretatione monumentum positum est quod supra
 tractavimus; cf. p. 21 sq.

²⁾ Idem in vv. 282/83 occurrit: τῶ μὲν ἐπώνυμον... ἔ δ' ἄορ...

in nulla fabularum similibus illarum singuli posterius post ipsum ortum hoc vel illud perfecisse dicuntur (cf. p. 44). Quoniam Pegasi genealogia in idem fabularum genus referenda est, non dubito quin Pegasi ad Iovem ascensus non cum caede Medusae cohaereat, sed seiungendus sit.

Causa autem, cur Hesiodus Bellerophontem silentio praetereat, illa est, quod Pegasi in narratione de Gorgone prolata mentionem facit, quae fabula cum Bellerophonte non cohaeret. Maxime autem Hesiodi silentium e consilio explicatur, quo Pegasi ad Iovem ascensum profert. Ut enim Hydrae (v. 316 sq.), Chimaerae (v. 325), leonis Nemei (v. 332), ita etiam Pegasi exitum perstringere vult. Pegasi autem ad Iovem adventus cum Bellerophonte, quippe qui antea delapsus sit, non iam conexus est.

Iam cum ascensus Pegasi ab Hesiodo prolatus Bellerophontis fabulam spectet, Pindarus vel Euripides facile e Theogonia haurire potuerunt. Quod si ita esset, ipsi quoque Hesiodi verba ad Bellerophontis fabulam retulissent. Quamquam argumentis evinci nequit. Ac facile fieri potest, ut ad alium quendam auctorem (Eumelum? cf. p. 45) redeant.

2. Iam perlustratis testimoniis quaeritur, sitne in Pegasi ad Iovem adventu ac fulminis tonitrusque gestatione pars vetustissimae fabulae cognoscenda.

Atque haud pauci viri docti¹⁾ ipso in hoc Pegasi munere pristinam eius naturam cerni arbitrati sunt. Neque tamen haec opinio probanda est. Nam fabulam illam esse vetustissimam negandum est. Neque enim Iupiter cum Pegaso nisi in Bellerophontis fabula cohaeret. Sin compluribus locis traditur Iovem equis alitibus usum esse („Apollod.“ bibl. I 6, 3; alibi), numerus pluralis alitum sine nomine equorum plane obstat, ne quis de Pegaso cogitet. Immo Dio Chrysostomus, qui in oratione Borysthenica singulos deorum equos enumerat, Pegasum non Iovi, sed Neptuno tribuit (XXXVI 46). Quod si eas de Bellerophonte fabulas intuemur, ad quas Pegasum ab initio pertinere vidimus, Iupiter a caede Chimaerae omnino alienus, cum Bellerophontis deiectu postea conexus est (cf. p. 74 sq.) Iupiter igitur a prima forma

¹⁾ W. Schwartz, Roscher, O. Gilbert, alii.

unius fabulae in qua cum Pegaso cohaeret, abhorruit. Sed etiam illud obstat, quod prae maximis partibus in Bellerophontis fabula tributis Pegasus cum Iove conexus proprio momento caret. Neque enim Iovis in aede alio munere nisi iumentum fungitur, quod deorum principi laborem minuens arma, tonitrum fulmenque, fert. Atque eadem de causa etiam Aurorae tribuitur: πρὸς τὸ ἀκόπως περιμέναι τὰς τοῦ κόσμου περιόδους (schol. A B ad Il. VI 155). Et qualis proprius modus muneris quo Pegasus apud Iovem functus dicitur, intellegendus est? Iovis ad currum eum iunctum fuisse vidimus. Quodsi unus equus fuisset, modus hic insolitus atque ad deum summum parum aptus indicio esset illam fabulam non primitivam fuisse. Si vero Pegasus cum aliis equis iunctus fuisset, et ipse certe momento deminutus et alii equi currusque Iovis cogitatione prius ficti essent. Denique Pegasi cum Iove nexui prisco illud repugnat, quod minime constat ac perduravit. Temporibus enim satis antiquis fabula orta est, ex qua Pegasus Aurorae tribuitur. Posteriore autem aetate traditur eum sideribus insertum esse. Contra cum Bellerophonte Pegasus usque ad infima antiquitatis tempora artissime coniunctus est.

Ceterum illud incrementum quo Iupiter cum fabula confusus est, haud difficile est intellectu. Nam iam supra (cf. p. 75) explicavimus, qui factum sit, ut Pegasi loco Iovi Bellerophontis deiectus attributus fuerit. Qua cum re certo Pegasi ad Iovem adventus cohaeret. Bellerophon enim in Iovis aedem pervenire frustra conatus praeceps datus est. Quid vero de Pegaso qui alto in aëre suspensus manebat, fiebat? Nec videlicet aberat quin eo pervenire fingeretur, quo Bellerophon frustra contendere ausus erat, in domum Iovis. Tantum autem Pindarus profert (Ol. XIII 92). Ac facile fieri potuit, ut munus quo Pegasus apud Iovem fungi fertur, fabulae postea demum adderetur. Certus autem huius muneris modus ne ipse quidem multum afuit. Quid enim Iovi magis attribui solet quam arma, fulmen tonitrusque? Atque ea Pegasus deorum principi ferre debere Hesiodus et Euripides plane ac dilucide dicunt. Is autem qui fulmen et tonitrum possidet atque usurpat, unus Iupiter est. Cave igitur ne Pegasus cum fulmine et tonitru artius cohaerere opineris. Quod

ipsum quoque iis contrarium est, qui Pegasus ad tempestatis naturam referunt. Quodsi a Bethio Bellerophontis ascensum et deiectum posterius fabulae incrementum esse arbitrato dissensimus (cf. p. 59), hoc in Pegasus apud Iovem comorantem cadere consentimus.

b. De Pegaso Aurorae ministro.

1. Nec vero solum Iupiter, sed etiam Aurora Bellerophonte deiecto Pegasus possedissee fertur. In schol. enim A B ad Il. VI 155 legimus τὸν ἵππον λαβεῖν τὴν Ἥῳ δεηθεῖσαν τοῦ Διὸς δῶρον πρὸς τὸ ἀκόπως περιμέναι τὰς τοῦ κόσμου περιόδους. Nec verba δεηθεῖσαν τοῦ Διὸς δῶρον λαβεῖν ex eo explicari possunt, quod Iupiter oestro imposito Pegasus Bellerophontis ultorem fecisse dicitur. Immo haec verba documento sunt Pegasus, priusquam Aurorae contigerit, in Iovis possessione fuisse. Atque in paraphrasi ad Lycophronis Alex. 17 Aurora omnino ταῖς τοῦ Διὸς ἵππου πτεροῖς vehi dicitur. Quare apparet fabulas quarum ex altera Iupiter, ex altera Aurora Pegasus post Bellerophontis lapsum potita est, in illo Homerico scholio exaequatas esse. Praeterea in eodem scholio Aurora aequae ac Sol totum caeli ambitum pervolat. Quod nisi ab auctoribus posterioris aetatis non traditur.¹⁾ In scholio autem ad Hesiodi Theog. 325 (Io. Diacon. = Flach p. 320) omnino dicitur: τῆς Ἡμέρας πῶλον λευκὸν ἢ Ἑλληνικὴ αὐτονομία τὸν Πήγασον παραδέδωκε; et apud Tzetiam ad Lycophronis Alex. 17: ἡ γοῦν Ἡμέρα παρὰ Διὸς τοῦτον αἰτεῖται, ὡς ἂν ἐποχουμένη αὐτῆ τὸν ἡμερήσιον κύκλον βαδίζῃ. Quem locum ad illud Homeri scholion redire in promptu est.

Compluribus autem locis Pegasus sane Aurorae equus nominatur, nec vero conexus quo cum Bellerophontis fabula cohaeret, ulla mentio fit. Neque tamen hi loci documento sunt illam Aurorae fabulam primo cum Bellerophontis exitio non coniunctam fuisse. Ibi enim conexum illum praeteriri ex eo explicatur, quod Bellerophontis fabulam tangere omnino non horum locorum est. Ac pro certo affirmare licet Auroram cum Pegaso pariter ac Iovem, qui dono dedisse fertur, nisi in Bellerophontis fabula non coniunctam fuisse.

¹⁾ Cf. Rapp in Rosch. M. L. s. v. Eos I 1255.

Et aequae atque Iupiter etiam Aurora sine dubio posteriore fabulae incremento cum Pegaso conexa est. Locorum autem quibus Bellerophontis mentio deest, hi Lycophronis versus sunt, quibus omnino Aurora Pegasus possedissee primum dilucide dicitur (Alex. 16/17):

Ἦὼς μὲν αἰπὸν ἄρτι Φηγίου πάγον
κραιπνοῖς ὑπερποτάτο Πηγᾶσου πτεροῖς.

Iam vero Stephanius opinatur Lycophronem in medio relinquere, utrum Aurora curru usa an equo vecta sit.¹⁾ At Auroram equitasse verbis illis plane ac perspicue dicitur.²⁾ Praeterea nec currus nec plurium qui curru iungi solent equorum mentio facta est. Atque Auroram equitantem intellegendam esse recte scriptum est primum in scholio ad Eurip. Or. v. 1004: Εὐριπίδης μὲν ἐπὶ ἐνὶ ἵπῳ ἐποχεῖσθαι φησι τὴν Ἡμέραν (φασὶ δὲ τοῦτον εἶναι τὸν Πήγασον), ἄλλοι δὲ ἐπὶ δίφρου; deinde apud Tzetiam et illo loco quem supra attulimus (cf. p. 82) et hoc: οἱ δὲ νέοι τῷ Πηγᾶσῳ ἐποχομένην αὐτὴν (scil. Ἡμέραν) εἰσάγουσι (ad Lyc. Alex. 17); tum apud Eustathium: ἦν ὁ μῦθος ἐποχὸν ἄρματι ἢ κελητίζουσαν ἐπὶ τοῦ Πηγᾶσου, ἔτι δὲ καὶ λαμπροφόρον πλάττει (ad Hom. Od. II 1 = 1420 12), et: ἐποχὸν οὖσαν κατὰ τὸν μῦθον ἢ ζυωριδι ἵπῳ κατὰ Ὅμηρον Λάμπου καὶ Φαέθοντος ἢ τῷ Πηγᾶσῳ κατὰ τοὺς νεωτέρους (ad Hom. II. XI 2 = 826, 24.³⁾)

Alio autem Tzetiae loco Homerus et νεώτεροι ita confunduntur, ut Pegasus Lampo et Phaethonti, quos Aurorae equos Homerus nominat (Od. XXIII 246), adiungatur (Posthom. v. 136—139):

εὖτ' ἄρ' δ' ὠκεανοῦ ἀποέσσυτο Ἡριγένεια
δίφρῳ ἐφεζομένη, τὴν δ' ὠκέες εἶρουσι ἵπποι,
Λάμπρος καὶ Φαέθων, οἱ οἱ ζύγιοι τελέθουσιν,
Πήγασος αὖτε νεόκτητος παρήγορος ἦεν.

Quae contaminatio certe Tzetiae ipsi ascribenda est.⁴⁾

Ne vero quis putet Pegasi cum Aurora conexum fabulam

¹⁾ Comptes-Rendus (1860) p. 48.

²⁾ Apud Gregor. Naz. poem. theol. II 10 50 ed. Benedict. (1840) tom. II p. 416 eques Pegaso alite vectus omnino πτηνός appellatur.

³⁾ Etiam Holzinger Lycophronis locum ita interpretatus est.

⁴⁾ De operibus duobus huius aetatis in quibus Aurora curru ab uno equo vecto utitur, cf. Stephani, Comptes-Rendus (1864) p. 47; p. 24 5

vetustissimam esse, eadem omnia argumenta repugnant quae supra in expositione de Pegaso Ioveque coniunctis facta attulimus (cf. p. 80 sq.).

2. Iam vero explicandum est, quomodo Aurorae et Pegasi coniunctio orta sit. Ac Stephanus et Rappius illam causam fuisse existimant, quod equi qui in operibus aetatis vetustioris Aurorae currum vehunt, haud raro alis instructi sunt.¹⁾ Neque tamen haec opinio probanda esse videtur. Nam non ea explicatur, cur ipsa Aurora cum Pegaso conexas sit. Immo si ita esset, aequo iure etiam alii dei qui curribus ab equis alatis vectis utuntur²⁾, cum Pegaso coniungi poterant. Praeterea si equi alites ad currum Aurorae iuncti causa illius conexus fuissent, Pegasus equis Aurorae sine dubio par existimatus esset. Nonne vero, si hoc factum esset, potius expectaretur, ut Pegasus unus ex Aurorae equis nominatus aut Aurorae equis adiunctus esset? Hoc tamen tantum abest, ut alii equi pennati una cum curru a Pegaso remoti sint. Hoc tamen plane obstat, ne quis putet equos alites ad currum Aurorae iunctos Pegaso pares existimatos esse. Quod cum ita sit, ii qui ipsos equos illos Pegasi cum Aurora coniuncti causam fuisse arbitrati sunt, nihil iam habent, quo consistent. Itaque Pegasi et Aurorae conexus aliter explicandus est.

Atque Euripides Auroram *μονόπωλον* appellat (Or. 1004). Quem Auroram non equitantem, sed curru vectam finxisse Vossius et Krahnert nescio quomodo colligunt, quod equitem uno equo uti per se intellegatur.³⁾ At in promptu est Auroram ob id ipsum *μονόπωλον* appellari, quod non curru vehitur, sed equitat. Quod in scholio ad Euripidis locum quod antea laudavimus, recte intellectum est. Atque etiam Holzinger ad Lycophr. Alex. 17 et Rappius ita interpretati sunt. Num vero his etiam assentiendum sit, qui e scholio Euripideo Ἡὼ *μονόπωλον* Pegaso vectam esse putant? Cui rei sane illud non obstat, quod Euripides ipse in Bellerophonte suo

¹⁾ Comptes-Rendus (1864) p. 47; Rosch. M. L. s. v. Eos I 1260.

²⁾ Cf. Stephani ibid. p. 44 sq.; de Ridder, Bulletin de correspondance hellénique. XXI (1898) p. 227, n. 1.

³⁾ Mytholog. Briefe II p. 77; Ersch et Gruber, Encyclop. s. v. Pegasus p. 456.

Pegasus post domini exitium Iovi potius servientem fecit. Alibi enim aliam fabulae formam proferre potuit. Sed ipsum vocabulum *μονόπωλος* quo in Oreste utitur, repugnat, quominus Auroram Pegaso vectam intellegas. Quo nihil dicitur nisi Auroram uno equo uti i. e. equitare. Atqui Pegasus non equus vulgaris, sed cum fabulis tum alis adeo mirus est, ut a vulgari caballo maxime distet. Qui nisi contextu sermonis explicatur vel excusatur, nullo modo simplici *πόλος* voce significari potest. Praeterea etiam illud opponere licet. Aurora Pegaso vecta ab Eustathio et Tzetzis diserte ipsis *νεωτέροις* ascribitur. Quod quidem verisimiliter eo redit, quod grammatici Alexandrini fabulas ab Homero et a posterioribus poetis traditas seiungebant. Haec enim seiunctio primo ab Aristarcho facta, tum ab Apollodoro accepta ad mythographos et scholiastas aetatis posterioris transit. Si Euripides Pegasus significaret, nobis saltem primus Aurorae Pegaso vectae, fabulae minime vulgaris, testis esset. Atque ipse iam voce maxime vaga uteretur? Quod non vereor, ne cui videatur. Quare comprobamus Euripidem Auroram neque Pegaso neque omnino equo aliti, sed vulgari vectam finxisse.

Unde vero discrepans haec cogitatio repetita est? Atque ad fabulam ad id temporis minus notam redire potest. Vel e Lunae similitudine orta esse potest, quae quidem equo vulgari vehi solet. Haec autem translatio facillime in artis monumento fieri potuit, si Aurora et Luna altera alteri respondentes fingebantur.¹⁾ Cui opinioni etiam hoc patrocinari videtur. Robertius enim in pictura qua Polygnoti pugnam Marathoniam refingere conatus est, Auroram aequae ac Lunam equo vulgari vehementem fecit.²⁾ Vereor autem, ut ipso de illo Euripidis loco cogitaverit, quo uno Aurora equo vulgari vecta esse dicitur. Quod si ad verum accedit, certe sola e Lunae similitudine etiam Auroram equo vectam fecit. Auroram autem Pegaso vectam cum Aurora equo vulgari usa cohaerere pro certo dici potest. Atque vulgari Aurorae equo per se alae tributae erunt, quod etiam equi ad Aurorae currum iuncti pennis praediti esse solent. Quo facto unus ille equus alatus

¹⁾ Cf. analogiam Persei Pegaso vecti, de qua supra diximus p. 40.

²⁾ 18. Hallesch. Winckelmanns Progr. (1895).

Pegasus existimatus erit, quem interpretes quidam iam apud Euripidem cognoverant.

c. De Pegaso inter sidera constituto.

Iam vero alia Pegasi fortuna compluribus locis traditur, quibus Pegasus post Bellerophontis exitium sideribus insertus esse dicitur. Cum autem Pegasi catasterismus cum Hippucrenes origine conexus esse soleat, infra accuratius tractandus est. Nihilominus nonnulla praesumenda sunt.

Aratus quidem narrat equum qui Hippucrenen Heliconiam produxit, in Equi sidus conversum esse (Phaenomen. 215 sq.). Quod ipse finxisse videtur. Necdum vero de Pegaso cogitavit. Atque interpretum ii qui Arati verba diligenter observant, Equi sidus ne ipsi quidem alium nisi equum agnoscunt qui Hippucrenen fodisse fertur. Contra alii Aratum Pegasus intellexisse putabant: οἱ μὲν αὐτὸν (scil. Ἴππον) λέγουσι τὸν κολάψαντα τὴν κρήνην ἐν τῷ Ἑλικῶνι, οἱ δὲ τὸν Πήγασον (schol. ad Ar. Phaen. 205). Haec autem opinio placuit. Quam cum alii probaverunt tum Germanicus, qui de Equi sidere haec dicit: *Gorgonis hic proles* (Arat. 218 sq.), ceteris vero rebus Aratum secutus est. Quoniam autem equus Hippucrenen fecisse et ad sidera subvolasse dictus Pegasus putabatur, hoc commentum facile cum ceteris de Pegaso fabulis atque imprimis cum Bellerophontis exitio coniunctum est.

Hoc quamquam alibi copiosius tractandum erit, tamen iam hic eorum loci afferendi sunt, qui Hippucrenes origine neglecta Pegasus post ipsum Bellerophontis deiectum in sidus converti faciunt: ἄλλοι δὲ τὸν Πήγασον εἶναι φασὶ τὸν εἰς τὰ ἄστρα ἀναπτάντα ὕστερον τῆς Βελλεροφόντου πτώσεως („Eratothenes“ Catast. XVIII); *alii hunc Pegasus dicunt ad astra evolasse, posteaquam Bellerophontem a se excusserit* (schol. B P ad Germ. Arat. p. 79; 1/2 Br.); *qui ad astra post Bellerophontis interitum evolaverit* (p. 141; 5/6 Br.). Atque etiam scholion ad Pind. Ol. XIII 92 cuius supra mentionem fecimus (cf. p. 77), ad scholia Aratea redire videtur. Quo quidem loco Pindari verba perperam ad Pegasi catasterismum referuntur, qui Bellerophontis exitium secutus esse dicitur.

VII. De Pegaso cum Tarsi nomine conexo.

Iam vero cum Bellerophontis exitio Tarsus Ciliciensis inepta nominis enodatione coniuncta est. Ibi enim campum Aleium situm esse alii dicebant (cf. Herodot. VI 95), ut alii in Lycia collocabant. Atque campi Aleii nomen iam apud Homerum duplici veriloquio ad Bellerophontis fabulam refertur (Il. VI 201/2):

ἦτοι δὲ κάμπ πεδίον τὸ Ἀλήιον οἶος ἄλλ' αἶτο,
ὄν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Quod sine dubio causa fuit, ut etiam nomen Tarsi, quae urbs in arvo Aleio sita est, cum Bellerophontis fabula conerteretur. Unde apparet ipsum hunc conexum posteriore aetate excogitatum esse.

Ac Dionysius Thrax in libro qui περὶ Ῥόδου inscribitur, narraverat Tarsi nomen a Bellerophontis calce (= ταρσός) ductum esse (Steph. Byz. s. v. Τάρσος). Quae fabulae forma certo aetate prima fuit. Etenim hoc commentum omnino ex illis Homeri versibus deductum est. Homerus autem arvom Aleium uno cum Bellerophonte coniungit, Pegasus omnino ignorat.

Ceteris vero locis quibus cum Bellerophontis fabula connectitur, Tarsus a Pegasi calce nominata esse dicitur. Atque Alexander Polyhistor in libro quem περὶ Κιλικίας scripserat, urbem Tarsum dictam esse narraverat διὰ τὸ τὸν Πήγασον ἵππον ἐκεῖ τὸν ταρσὸν κλάσαντα καὶ Βελλεροφόντην ἐν τῷ Ἀληίῳ πεδίῳ πλανηθῆναι (Steph. Byz. s. v. Τάρσος). Pegasus igitur non in Olympum subvolaverat, sed una cum Bellerophonte delapsus erat. Quod cum ita esset, non Bellerophon, qui equo vectus in altiore positione erat, sed Pegasus calce fracta claudus factus esse dicitur. Quae calamitas sine dubio a Bellerophonte in Pegasus translata est. Ac fere idem vetere quodam Dionysii Periegetae scholio dicitur. Quod ad hos Dionys. Perieg. versus affertur (v. 869 sq.):

Τάρσον εὐκτιμένην, ὅθι δῆποτε Πήγασος ἵππος
ταρσὸν ἀφ' αἰετῶν χάρων λίπεν οὐνομα, τῆμος ἀφ' ἵππου
ἐς Διὸς ἰέμενος πέσεν ἦρωος Βελλεροφόντης,
κεῖθι δὲ καὶ πεδίον τὸ Ἀλήιον

Vetere autem scholio haec narrantur: μυθεύεται γὰρ. ὅτι

Βελλεροφόντης ποτὲ τοῦ ἐπίκλιν λεγομένου Πηγάσου ἐπιβάς ἵππου θελήσας εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνελθεῖν διὰ τὴν ἀλαζονεῖαν αὐτοῦ, καταβληθεὶς ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἐν τῇ γῆ σὺν τῷ ἵππῳ ἔπεσεν, ὡς τοῦ ἵππου πτερορυήσαντος. διὸ καὶ ὡς πρῶτος πατήσας (πατήσας indicio est ταρσὸν a schol. calcem intellectum esse) ἐκείνην τὴν γῆν τοιοῦτον ὄνομα κατέλιπεν ἐν αὐτῇ (scil. Pegasus, ut Dionysii verba docent). Quod autem Pegasus alas perdiderat, lapsus explicatio haud ita remota erat, quae etiam e simili Icarum fabula nota erat. Eadem autem ac scholio etiam in paraphrasi illorum Dionysii versuum parum sane dilucide proferuntur. Qui paraphrasis locus partim ad vetus illud scholion, partim ad alterum versuum illorum scholion redit, quo tamen Tarsi mentio deest. Haec autem paraphrastae verba sunt: ἵππου ποτὲ ὁ Πήγασος ἵππος τὸν ταρσὸν τοῦ ποδὸς (ταρσὸν idem ac calcem valere e scholio quod supra attulimus, deprompsit) αὐτοῦ ἀφείδ τῷ τόπῳ ἐκείνῳ τοῦνομα ἐγκατέλιπεν, ὀπηνίκα ὁ ἦρωες Βελλεροφόντης ἐς τὸν οὐρανὸν πορευόμενος κατενεχθεὶς κατεάγη (duo haec verba ex altero scholio sumpsit) τοῦ ἵππου πτερορυήσαντος (hanc vocem e scholio quod attulimus, mutuatus est). Denique etiam Eustathius eadem fere ad illum Dionysii locum fusius persequitur. Tarsum enim inde nominatam esse dicit, ὅτι δηλονότι ὁμώνυμός ἐστι τῷ τοῦ Πηγάσου ταρσῷ ἐκεῖ καταρρυέντος ἄνωθεν καὶ τὸν ἀναβάτην Βελλεροφόντην συγκατενεχόντος ὅτε γὰρ ἐς Διὸς ὁ Βελλεροφόντης ἀφικνεῖτο, ἐποχοῦμενος τῷ πτερῷ τῷ Πηγάσου, τότε καὶ ὁ Πήγασος κάτω ἠνέχθη χόλῳ Διός, καὶ ὁ ἵππεὺς συγκατηνέχθη. καὶ ὁ ἵππος αὐτοῦ ἐνταῦθα τὸν τοῦ ποδὸς ταρσὸν ἐπαφείδ, ἐκεῖ γὰρ ὠκλασε, τῷ τόπῳ ἔλιπε τὸ ὄνομα. ἄλλοι μὲντοι τὸ ὄνομα τῆς πόλεως ὑπόμνημα τῆς τοῦ Βελλεροφόντου χωλείας εἶναι φασιν, ὡς τὸν τοῦ ποδὸς ταρσὸν ἐκεῖ χωλανθέντος, ὅτε τοῦ Πηγάσου κατέπεσεν. Iam vides ea quae alii (ἄλλοι) narrasse dicuntur, plane eadem esse quae Dionysius Thrax protulerat (cf. p. 87).

Sine dubio ad fabulam qua Pegasus in Ciliciam delapsus esse fertur, non vero in quandam Chimaerae pugnam quae in Cilicia facta sit¹⁾, Ausonii locus referendus est: *Pegasus volucer actus a Lycia non ultra Ciliciam permeavit* (Grat. act.

¹⁾ Quod nescio quomodo Krahnert opinatur in Ersch. et. Grub. Encycl. s. v. Pegasus p. 459.

37; p. 375 Peip.). Quibus verbis Ausonius Caesari blanditur, qui summa velocitate totum imperium percurrerit. Neque eum vulgarem fabulam significare, qua Pegasus post Bellerophontis lapsum in Cilicia factum ad Iovem pervenisse fertur, facile intellegitur. Vulgari enim in fabula Pegasus maiora quam Gratianus consecutus est.

Iam vero si ipsius Dionysii Periegetae verba accuratius perlustramus, planum fit cum fabula ab interpretibus narrata minime ea congruere. Ac primum ἀφείς, qua voce Dionysius utitur, parum cum interpretum fabula concinit. Quae vox vetere illo scholio et paraphrasi omnino non explicatur. Eustathius autem ἀφείς idem atque ἐπαφείς significare contendit. Haec tamen minime vis simplicis vocis ἀφείς est. Ne vero quis apud Dionysium fabulae formam ab interpretibus allatam agnoscat, illud maxime obstat, quod Dionysius Bellerophontem ἀφ' ἵππου delapsus esse dicit, scholiastae vero Pegasus una cum domino devenisse narrant. Cave autem ne opineris Dionysium verbis ἀφ' ἵππου usum esse, ut Pegasus a Bellerophonte seiunctum praecipitasse dicat. Hoc enim si esset, Dionysius rem minimam peculiaribus verbis significasset, contra Pegasi ipsius quoque deiecti, quae gravissima res est, nullam mentionem fecisset. Sed Dionysium vulgarem fabulam secutum esse apparet, ex qua Bellerophon ex alto praecipitavit, Pegasus autem ipse summo in aëre mansit. Quod cum ita sit, Dionysius τὰρσόν non pedem intellegere potuit, sed pinnam, quae item voce τὰρσός significatur. Pegaso igitur apud Tarsum ex alis penna excidit.

Nec vero haec fabula a Dionysio solo traditur. A Iuvenale enim (III 117/18) Egnatius appellatur:

ripa nutritus in illa,

ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.

Quibus verbis ripam Cydni qui Tarsum perfluit, significari nunc omnes consentiunt. Quodsi verbis illis Tarsi significatio inest, non dubium est quin *pinna caballi*, id est τὰρσός ἵππου, ad verbum accipienda sit. Quare Heinrichii sententia certe improbanda est, qui quadam orationis figura *pinnam caballi* totum Pegasus significare opinatus est¹⁾. Atque etiam in

¹⁾ In edit. (1839) ad hunc locum.

fabula quam supra attulimus (cf. p. 38), Tarsi nomen a pinna dicitur. Perseus enim Tarsi unam e talaribus pinnis perdidisse fertur.

Iam cum Dionysius Periegeta et scholia maxime differant, consentaneum est fabulae formam in scholiis prolatam e Dionysio haustam esse non posse. Atqui scholia cum Alexandro Polyhistore plane concinere vidimus (cf. p. 87). Quae cum ita sint, non dubium est quin ad hunc ipsum redeant. Dionysius autem unde hauserit, pro certo dici nequit.

Is autem etiam ab Avieno, imitatore suo, prave intellectus est. Hic Pegasus a Tarso subvolantem facit, qui relicto unguulae vestigio urbi nomen dederit (descript. orb. terr. III 1032/33):

*Pegasus hoc olim suspendit caespite sese
impressaeque solo liquit vestigia calcis.*

Contra in amputata Prisciani versione illud de Tarso commentum deest¹⁾.

VIII. De ceteris fabulis in Asia collocatis.

Fabulae autem quas modo persecuti sumus, caedes Chimaerae et Bellerophontis ascensio exitiumque, in Lycia collocantur. Atque cum Lycia fabula etiam commentum cohaeret quo Tarsi nomen explicatur.

Neque tamen desunt quibus planum fit Bellerophontis Pegasiue coniunctionem etiam extra Lyciam in Asia notam fuisse. Bargylia enim, quae Carum urbs paulum ab Halicarnasso abest, a Bargylo nominata esse fertur, *ὁς πηγαίς ὑπὸ Πηγάσου τελευτᾷ, Βελλεροφόντης δὲ ἀναθεὶς ἐπὶ τῷ ἑταίρῳ πόλιν ἔκτισε Βαργύλια* (Steph. Byz. s. v. Βαργύλια). Ac post 200. p. Chr. n. annum in argenteis et aëneis Bargyliae nummis Pegasus aut Bellerophon eo vectus occurrunt²⁾. Atque etiam in nummis Halicarnassi ipsius, quae colonia Troezeniorum dicitur, Pegasus aetate satis antiqua invenitur³⁾. Praeterea nummi Alabandae et Alindae, urbium Caricarum,

¹⁾ Burmannus perperam versus alios Prisciano (tribuit ad Rutil. Nam. itin. I 449 = poet. lat. min. II p. 133).

²⁾ Head, H. N. p. 522.

³⁾ Head, ibid. p. 526.

Bellerophontis Pegaso signati sunt¹⁾. Denique idem etiam in nummis Stratoniceae Caricae et Euippae occurrit, qui locus apud Stephanum Byzantium *δῆμος Καρίας* appellatur²⁾. Carum autem in regionem Bellerophontis fabulam a colonis Peloponnesi septentrionalis translata esse scimus. Atque apud Cares non secus quam Gorgonis fabula indidem translata Bellerophontis et Pegasi coniunctio late diffusa est atque increvit.

Sed quamquam coloniae Peloponnesiorum septentrionalium praecipue in meridionalem Asiam deducebantur, tamen ne in ea quidem Asiae parte quae ad aquilonem magis conversa est, vestigia fabulae Bellerophontae desunt. Ac Sarpedon, Mileti conditor, ab Homero (Il. VI v. 199) Bellerophontis nepos nominatur. Qua cum re cohaerere videtur, quod in nummis Cyzici, coloniae Milesiorum, et Pegasus et Chimaera quinto iam saeculo inveniuntur³⁾. Atque etiam Leucippus, Magnesiae Maandriae conditor, Bellerophontis stirps fertur (Parthen. 15).

In fine cuiusdam fabulae neograecae mentio fiat. Sprattius enim hoc dicit: St. Nicetas] *in the greek Calendar is revered as a sort of Bellerophon, having the power of aerial flight on a white-winged steed*⁴⁾. Nec vero fabulam Niceetae ipso cum Bellerophonte et Pegaso cohaerere evinci potest. Quod enim et ipse equo alato vehitur, parum documento est. Nam in fabulis neograecis haud pauci equi alati occurrunt, qui certe cum Pegaso nihil coniuncti sunt. Neque Pegasus pinnis albis instructum fuisse in antiquis fabulis usquam dictum est.

Perlustratis vero fabulis quae de Pegaso cum Bellerophonte conexo feruntur, summam iudicii nostri breviter comprehendamus. Vetustissimam fabulam eam cognovimus, qua Pegasus cum Chimaerae pugna atque cum Bellerophontis ascensu deiectuque coniungitur. Eae vero fabulae quibus Pegasus a Bellero-

1) Head, *ibid.* p. 519.

2) Head, *ibid.* p. 530; p. 525.

3) Head, *ibid.* p. 451.

4) Spratt, *Travels and researches in Crete* vol. I (1865) p. 346.

phonte domitus atque cum Iove et Aurora coniunctus esse dicitur, posteriori incremento tribuendae sunt.

Hoc autem iudicium nostrum ad fabulam explicandam magni momenti esse in promptu est. Neque e posteriore cum Iove conexu colligi potest Pegasus primo cum tempestatis natura quodammodo cohaesisse (cf. p. 80). Nec magis ad solem Pegasus referri potest. Quae sententia eo nititur, quod Bellerophontem cum sole coniunctum esse quidam viri docti contendunt. Sed ut hoc ad verum accedat, tamen in vetustissima fabula Bellerophon et Pegasus alter alteri maxime adversantur. Pegasus enim quamquam in Chimaerae expeditione Bellerophonti potestatem victoriae facit, tamen post temerariam ad caelum ascensionem dominum exitio dat. Quod cum ita sit, nullo modo fieri potest, ut uterque pariter ad solem referatur. Neque huic fabulae explicationi genealogiam patrocinari, qua Pegasus Neptuni et Medusae filius fertur, elucet. Denique Pegasus ne execrationum quidem velocitatem significare potest¹⁾. Nam etiamsi Bellerophontem perdit, tamen etiam victoriae a Chimaera reportatae auctor est²⁾.

C.

De fabulis in quibus Pegasus fontium auctor fertur.

I. De Pegaso cum Hippucrene Heliconia conexo.

Iam de conexu agamus quo Pegasus cum fontibus compluribus cohaeret, quos ictu unguulae produxisse fertur.

Ac primum quidem de Hippucrene Heliconia dicamus. Fabula enim Hippucrenes a Pegaso factae et omnium prima traditur et ad ea quae de ceteris fontibus Pegaseis narrantur, multum attulit.

¹⁾ Gruppe, griech. Mythol. I p. 75; p. 186.

²⁾ Quamquam Gruppius explicatione Euhemero digna Chimaerae caedem ad Graecorum cum barbaris pugnam refert ibid. p. 330.

1. Atque nomen Hippucrenes iam in sexto versu Theogoniae Hesiodaeae occurrit, qui una cum antecedenti et insequenti versu a quibusdam viris doctis sine causa spurius existimatus est. Iam praeter Hippucrenen Permessus et Olmius nominantur. Quod nescio an in regionis patriae notitia positum sit. Tribus autem locis illis Musae lavari dicuntur. Nec vero Hippucrenen a Pegaso excussam esse in Theogonia scriptum est. Quamquam Hesychius s. v. Ἴππουκρήνης haec affert: τῆς ἐν τῷ Ἐλικῶνι, ἣτις ὀνομάσθη ἀπὸ τοῦ Πηγᾶσου Ἴππου, ὃς διψήσας ἔκρουσε τὴν γῆν τῇ ὀπλῇ. ἢ δὲ τὴν πηγὴν ἀνῆκεν. Ἡσιόδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ. Cave tamen ne Theogoniae locum quondam ampliorem fuisse conicias, quo de Hippucrene plura verba facta fuerint. Nam plus semel nomen auctoris non post glossam re vera ab eo sumptam, sed post scholion aliunde haustum ponitur¹⁾. Neque magis hoc e quodam Arati scholio colligere licet. Is quidem de Hippucrenes origine haec profert (Phaen. 215 sq.):

κεῖνον (scil. Ἴππον) δὴ καὶ φασὶ καθ' ὑψηλοῦ Ἐλικῶνος
καλὸν ὕδωρ ἀγαγεῖν εὐαλδέος Ἴππουκρήνης
οὐ γὰρ πω Ἐλικῶν ἄκρος κατελείβετο πηγαῖς
ἀλλ' Ἴππος μιν ἔτυψε· τὸ δ' ἀθρόον αὐτόθεν ὕδωρ
ἔξέχυτο πληγῇ προτέρου ποδός· οἱ δὲ νομῆες
πρῶτοι κεῖνο ποτὸν διεφήμισαν Ἴππουκρήνην.
ἀλλὰ τὸ μὲν πέτρης ἀπολείβεται οὐδέ ποτ' αὐτὸ
Θεσπιέων ἀνδρῶν ἐκάς ὄψαι, αὐτὰρ ὁ Ἴππος
ἐν Διὸς εἰλεῖται καὶ τοὶ πάρα θηήσασθαι.

Scholiasta autem ad v. 205 hoc dicit: εἴληψε δὲ τὴν ἱστορίαν παρ' Ἡσιόδου. διὸ φησὶν οἱ δὲ νομῆες πρῶτοι κεῖνο ποτόν. Atque Aratum Hesiodi Theogoniam respicere rectissime animadvertit²⁾. Quo factum est, ut paululum vagiora verba εἴληψε δὲ τὴν ἱστορίαν παρ' Ἡσιόδου attulerit. Minime vero inde concludi potest ipsam Hippucrenes originem in Theogoniae prooemio narratam fuisse.

Nec vero inde a prooemio Musarum Heliconidum usque ad aetatem quae Alexandrina vocatur, Hippucrenes in litteris ad nostram aetatem propagatis ulla iam mentio fit.

¹⁾ Cf. Muetzell, de emendat. Theog. Hes. p. 370.

²⁾ Muetzell ibid. p. 370; Maass, Aratea p. 275.

Quamquam inscriptio adversari videtur, quae in nota hydria musei archaeologici Florentini invenitur¹⁾. Quod vas rubris figuris pictum V saeculo attribuendum videtur. Atque in umero pyrrhiche quae vocatur, a puella exercetur. Utraque autem a parte saltantis cum aliae puellae adstant tum una cui nomen Cleodoxa est, tibia, altera quae Pegasis nominata est, fidibus canit; tertia cui nomen non adscriptum est, et ipsa lyram tenens cantum insistere videtur. Atque quaeritur, quid nomen illud Pegasidis significet. Supra autem vidimus Pegasidem et nymphas et Musas nominari (cf. p. 1 sq.). Nec vero Pegasidem hydriae Florentinae ad nymphas referendam esse certum est. Nam lyra ab ea portata ac nomen Cleodoxae alteri puellae inditum claro indicio sunt Pegasidis illius nomen cum Musis cohaerere. Quamquam unam e Musis ipsis eam significare negandum est. Cum enim figurae in pictura illa repraesentatae non deae, sed sine dubio humanae sint, Musae omnino exspectari non possunt. Neque Pegasidis aut Cleodoxae nomen usquam ad significationem Musarum singularum usui est. In titulo autem temporibus Caesarianis tribuendo qui in monumento Sidae Pamphylicae incisus est, mortua verbis εὑρύχει Πήγασα valere iubetur (CIG III 4346). Hoc nomen ab amore studioque artium sumptum fuisse pro certo dicere licet. Ita igitur etiam nomen Pegasidis in hydria pictum intellegendum est.

Quaeritur autem, quaenam vis nomini Pegasidis, quatenus ad Musas spectat, insit. Atque apud Verrium Flaccum (Paul. Fest. s. v. Pegasides) scriptum est: *Pegasides Musae dictae sunt a fonte quem Pegasus ictu unguulae fingitur aperuisse* (cf. p. 2). Hic igitur illud nomen quamquam non directe a Pegaso repetitur. Contra alii notae atque artissimae Musarum fontiumque coniunctionis memores perspexerunt Musas nil esse nisi quandam nympharum speciem²⁾. Unde altera sententia orta est, qua Musae initio ipsa ex illa fontium (πηγῶν) coniunctione Pegasides nominatae sint³⁾.

¹⁾ W. Amelung, nr. 237; ed. Arch. Ztg. VIII (1850) t. 21; Revue archéol. VII (1850) p. 120.

²⁾ Cf. Lehrs, Popul. Aufs. p. 126 sq. Preller-Robert, griech Mythol. I p. 486 sq.; Bloch in Rosch. M. L. s. v. Nymphen III p. 518/19.

³⁾ Maass, Hermes XXXI (1896) p. 426; Rothstein in edit. Propertii II p. 360.

Atque quaeritur, utra vis in Pegasidem hydriae cadat. Quodsi veriloquium apud Festum traditum ponimus, priusquam puella Pegasis nominari potuerit, haec fieri debuerunt: primum fabula ex qua Pegasus fontem Hippucrenen produxit, divulgari, tum Hippucrene a Pegaso Pegasis nominari, deinde Musae ab hoc fontis nomine Pegasides appellari, denique ab hoc Musarum nomine mulier Pegasis nominari. Nec vero Pegasum Hippucrenen excussisse aut fontem a Pegaso Pegasidem nominatum aut Musas ab hoc Hippucrenes nomine Pegasides appellatas esse ante aetatem qua hydria Florentina facta est, unquam traditur. Immo a temporibus demum Alexandrinis omnino illa atque saepissime inveniuntur. Accedunt autem alia. Accepto enim Verri Flacci veriloquio Pegasis et hydriae et tituli illius sepulcralis quodammodo ad Musas ipsius Hippucrenes referrentur. At illius Pegasidis nomine aequae ac Cleodoxae generalem Musarum memoriam contineri apparet. Ut homines haud raro Musas appellari constat. Ac si Pegasis hydriae et tituli ad Musas ipsius Hippucrenes referrentur, exspectari poterat, ut etiam Hippucrenis, Aganippis, Castalis, Libethris aliaque cognomina Musarum singularium pari usui essent. Quod cur nunquam factum sit, facile intellegitur. Praeterea si Musae iam ante hydriae Florentinae aetatem cum Pegaso conexae atque ex eo nominatae essent, exspectari poterat, ut temporibus satis antiquis cum Pegaso artius coniunctae invenirentur. Nec vero hanc coniunctionem nisi aetate multo inferiore factam esse videbimus. Ac ne in illis quidem Propertii, „Vergili“, „Ovidi“ locis quos supra laudavimus (cf. p. 2), Pegasides ipsam ad Hippucrenen referre utique cogimur. Quamquam facile fieri potuit, ut post aetatem Alexandrinam, cum ipse fons a Pegaso productus multum valere coepit, nomen Pegasidum aliter, atque ita ut apud Paulum Festi traditur, intellegeretur. Qui ceterum et ipse Pegasidum nomen Musis attributum non a Pegaso directe, sed a fonte ungula producto repetit. Atque „Moschus“ (epitaph. Bionis 78), Antipater Thessal. (A. P. XI 24, 6), Onestes (A. P. IX 225, 1; IX 230, 2), Martialis (IX 58, 6) Hippucrenen vocant Pegasidem. Hanc tamen pristinam Pegasidum vim fuisse negandum est. Quod ne quis putet, denique etiam illud obstat, quod Pegasum

aetate Alexandrina omnino Hippucrenes auctorem factum esse paulo infra evincere posse mihi videor. Quae cum ita sint, Pegasis hydriae non ipsa cum Hippucrene cohaeret.

Alexandrina autem ab aetate usque ad infima antiquitatis tempora Hippucrene persaepe occurrit.

Quae res ipsa indicio est non casu Hippucrenes mentionem a prooemio Theogoniae Hesiodaeae usque ad aetatem Alexandrinam deesse. Atque etiam inde id elucet, quod vetustissima poetarum Alexandrinorum testimonia ipsam mentionem in Theogonia factam respiciunt. Ut Callimachus in fragmento apud Frontonem servato facit (frg. anon. 388 ed. Schneider), quod iure ab omnibus ei tribuitur¹⁾. Atque M. Aurelius Caesar in epistula ad Frontonem data scribit haec se apud magistrum legisse:

ποιμένοι μῆλα νέμοντι παρ' Ἴχμιον ὄξεος ἵππου
Ἑσιόδῳ Μουσέων ἐσμὸς ὅτ' ἠντίασεν

(ep. I 3 p. 11 Naber). Aequae autem Callimachus in altera Hippucrenes mentione Hesiodi prooemium (Theog. 5/6) respicit (h. V 71/72):

Ἴπῳ ἐπὶ κράνα Ἑλικωνίδι καλὰ βροίσα
λῶντο²⁾.

Atque etiam Aratum in Hippucrenes memoria Hesiodum respicere supra vidimus (cf. p. 93).

Silentium autem quod usque ad aetatem Alexandrinam observatur, inde explicari mihi videtur, quod omnino ea demum aetate causa existit, qua inde ab illo tempore Hippucrenes saepissime mentio fiat. Alexandrina enim aetate Hippucrenem eam scaturiginem factam esse, cuius haustu poetae divino instinctu excitari dicuntur, argumentis comprobare potest. Quam rem toti antiquitati familiarem fuisse Rothsteinus iniuria contendit.³⁾ Neque enim ullum exstat testi-

¹⁾ Primo a Bergkio ei adscriptum est, Anthol. lyr. nr. 3; quocum Rauchius, die Frg. der Aitia des Callim. (1860) p. 11, Meinekius, Anal. Alex. p. 287, O. Schneider, Callimachea II p. 789, E. Dittrich, Jahrb. f. Philol. 143 (1891) p. 576 ita consentiunt, ut Bergkium secutus Schneider fragmentum prooemio Aetiorum, Rauchius et eum secuti Meinekius et Dittrichius epigrammati cuidam adscribant, quod in collectione quae Γραφεῖον inscribitur, fuisse Dittrichius putat.

²⁾ Cf. Rzach, Wien. Stud. XVI (1894) p. 230.

³⁾ Hermes XXIV (1889) p. 20.

monium quod aetatem Alexandrinam antecedit. Nec vero illam rem a populo profectam sed a poeta fictam esse in promptu est. Quamquam cum vetusta opinione cohaerere videtur, secundum quam Graeci fontium quorundam aqua vaticinationis participes homines fieri putabant.¹⁾ Hanc poesi similem esse vetustissima exstant testimonia.²⁾ Atque etiam cum quibusdam vetustis imaginibus orationis illa res cohaerere videtur. Quales apud Hesiodum (Theog. 81 sq.), Pindarum (Ol. VII 7; N. III 76; I. V (VI) 74) aliosque occurrunt.

Iam vero auctorem Hippucrenes fontis poetici Callimachum fuisse argumentis evincere posse mihi videor.

Atque in Anthologia Palatina complura epigrammata Antipatri Thessalonicensis sunt, quibus poetae ii increpantur qui aquam poti poesis studio instinguebantur. Quae quidem carmina hoc loco afferantur: ac primum XI 24:

ὦ Ἐλικῶν Βοιωτέ, σὺ μὲν ποτε πολλάκις ὕδωρ
εὐεπὲς ἐκ πηγέων ἐβλυσας Ἡσιόδῳ
νῦν δ' ἡμῖν ἔθ' ὁ κοῦρος ὀμώνυμος Αἰσονα Βάκχον
οἴνοχοεῖ κρήνης ἐξ ἀμεριμνοτέρης.
βουλομένην δ' ἂν ἔγωγε πιεῖν παρὰ τοῦδε κύπελλον
ἐν μόνον ἢ παρὰ σεῦ χίλια Πηγασίδος.³⁾

Unum igitur poculum vini Ausonii Antipatro magis valet quam milia fontis Pegasei, unde Hesiodus hausit. Tum IX, 406:

ἀργυρὴ κρήνη με τὸν οὐκέτι μακρὰ βοῶντα
βάτραχον, οἴνηραῖς ἔσχεν ὑπὸ σταγόσιν.
κεῖμαι δ' ἐν Νύμφαις, κείναις φίλος, οὐ δὲ Λυαίῳ
ἐχθρὸς, ὑπ' ἀμφοτέρων λουόμενος σταγόσιν.
ὀψέ ποτ' εἰς Διόνυσον ἐκώμασα. φεῦ, τίνες ὕδωρ
πίνουσιν, μανίην σώφρονα μαινόμενοι.⁴⁾

¹⁾ Schoemann, griech. Altert.³ II p. 311 sq.; G. Wolff, Porphyr. de oraculis p. 174.

²⁾ Cf. Roscher, M. L. I 435.

³⁾ Cf. Hillscher, Jahrb. fuer Philol. Suppl. XVIII (1892) p. 140. Friedlaender, Sittenges. I p. 115; Setti, gli epigrammi degli Antipatri p. 112/13.

⁴⁾ Lemma Ἀντιγόνου Καρυστίου coniectum e codicis Καρστίου falsum esse iam Iacobsius ad IX 406 recte dixit; Antipatrum autem Thessalonicensem epigrammatis auctorem esse M. Rubensohn quadam Stadtmuelleri inventionione fultus comprobavit Herm. XXVI (1891) p. 154 sq.

Quo in epigrammate item de furore aqua hausta producto
agi in aperto est. Deinde XI 31:

οὐ μοι Πηληϊάδων φοβερὴ δύσις οὐδὲ θαλάσσης
ὠρύον στυφελῶ κῦμα περὶ σκοπέλω,
οὐδ' ἔταν ἀστράπτῃ μέγας οὐρανός, ὡς κακὸν ἄνδρα
ταρβέω, καὶ μύθων μνήμονας ὕδροπότης.

Quod carmen et ipsum eos spectare, quibus aquae potione
fabulae inspirari videntur, M. Rubensohn exposuit. Denique
XI 20:

φεύγεθ' ὅσοι λόκκας ἢ λοφνίδας ἢ καμασίνας
ἄδετε, ποιητῶν φύλλον ἀκανθολόγων,
οἱ τ' ἐπέων κόσμον λελυγισμένον ἀσκήσαντες
κρήνης ἐξ ἱερῆς πίνετε λιτὸν ὕδωρ.
σήμερον Ἀρχιλόχοιο καὶ ἄρσενος ἡμαρ Ὀμήρου
σπένδομεν ὃ κρητῆρ οὐ δέχεθ' ὕδροπότης.

Nec vero de vulgari quolibet fonte agi XI 20 et 24 docu-
mento sunt.

Quod autem certum in poetarum genus Antipater inve-
hitur, id Diltheius optime animadvertit. Verbis enim inusitatis
minimeque tritis quibus Antipater ultimo illo epigrammate
(XI 20) utitur, sobrios poetas Callimacheos significari acutis-
sime comprobavit¹⁾. Quodsi eorum qui Callimachum secuti
sunt, aqua fontis sacri instingui proprium est, iusta coniec-
tura colligere licet eos ut in aliis ita in hac re Callimachi
exemplar imitatos esse. Atque illud documento est, quod in
epigrammatis illis etiam ipse Callimachus significatur. Ut
λιτὸν ὕδωρ usitata translationis figura brevitatem carminis notat.
Quod ipsum in Callimachum cadere constat. Praeterea aquae
potoribus Archilochus et Homerus, poetae ab Antipatro culti,
opponuntur. Ipse autem Callimachus Archilochum ut vinolen-
tum vituperavit (frg. 223 Schn.). Neque Homerum ita mul-
tum veneratus est²⁾. Ceterum Antipater alibi quoque ipsum
in Callimachum invectus est³⁾. Per se autem patet Antipatrum
illam aquae potionem ipsius Callimachi et poetarum Callima-
cheorum propriam dicere non potuisse, si iam ante Callima-

¹⁾ De Callimachi Cydippa (1863) p. 14 sq., quem secutus alia addi-
dit M. Rubensohn l. c.; praeter hos cf. Kiessling ad Horat. epp. I 19, 1 sq.

²⁾ Dilthey l. c. p. 5 sq.

³⁾ Dilthey l. c. p. 16—20.

chum usitata tritaque fuisset. Nec vero fuit aetate priore. Atque etiam opinione vulgari uti naturae Callimachi illius πάντα τὰ δημόσια aspernantis male conveniret.

Atque hercle Callimachum auctorem alia epigrammata probant. Ubi Hesiodus aquam divinam fontis Heliconii bibisse dicitur. Atque Alcaeus Messenius apud Philippum III moratus de Hesiodo haec dicit (A. P. VII 55, 5/6):

τοίην γὰρ καὶ γῆρον ἀπέπνεεν ἐννέα Μουσέων
ὁ πρέσβυς καθαρῶν γευσάμενος λιβάδων¹⁾.

Cuius fontis nomen ab Alcaeo Messenio sane non profertur. Sed cum de fonte Heliconis agatur, quo in monte Hesiodus insuper poeta factus est (Theog. 22 sq.), certo alius non intellegendus est nisi Hippucrene, cuius unius in v. 6 prooemii mentio fit. Atque haec in epigrammate Archiae nominatim appellatur (A. P. IX 64):

αὐταὶ ποιμαίνοντα μεσημβρινὰ μῆλά σε Μοῦσαι
ἔδρακον ἐν κραναοῖς οὖρεσιν, Ἡσίοδε,
καὶ σοὶ καλλιπέτηλον ἐρυσσάμεναι περὶ πᾶσαι,
ὄρεξαν δάφνας ἱερὸν ἀκρεμόνα,
δῶικαν δὲ κράνας Ἐλικωνίδος ἐνθεον ὕδωρ
τὸ πτανοῦ πῶλου πρόσθεν ἔκοψεν ὄνουξ.
οὔ σὺ κορυσσάμενος μακάρων γένος ἔργα τε μολπαῖς
καὶ γένος ἀρχαίων ἔγραψες ἡμιθέων²⁾.

Quod carmen posthabitis quibusdam discriminibus³⁾ quae ad nos non pertinent, e prooemio Theogoniae sumptum est.

¹⁾ Epigr. e lemmate Ἀλκαίου est; L(emmatista) autem ut ad alias libri VII priores inscriptiones quaedam addidit, ita ad illam Μιτυληναίου adiecit. Quae additamenta levia esse Stadtmueller intellexit II, 1 p. 8. Atque C(orrector) fidem Lemmatistae derogans ἢ Μεσσηνίου addidit. Uni autem Alcaeo Messenio epigramma tribui posse illud documento est, quod Hesiodus e Musarum fonte bibisse dicitur. Neque enim hoc, ut supra demonstravimus, ante aetatem Alexandrinam usquam occurrit. Brunckius et Meinekius et Flachius Messenio tribuunt, Knaackius dubitat.

²⁾ Lemma hoc est: Ἀσκληπιάδου, οἱ δὲ Ἀρχίου; in Anth. Planud. unius Archiae nomen invenitur. Atque Knaackius causa non allata Asclepiadi tribuit (Susemihl II p. 560); contra H. Ouvré, Dicendi genus ratioque metrica apud Asclepiadem (1894) p. 29 Archiae tribuit. Cum hoc autem consentiendum atque Ἀσκληπιάδου e lemmate IX 63 errore translatum esse videtur.

³⁾ Maass, Aratea p. 273 n

Hoc vero discrimen a Maassio neglectum gravissimum est. In Theogoniae prooemio ne verbo quidem Hesiodus e fonte divino bibisse dicitur. Hoc vero eum fecisse praeter illos etiam Antipater Thessalonicensis epigrammate quod supra laudavimus (cf. p. 97) testatur¹⁾. Hesiodum autem aquam divinam Hippucrenes tum gustasse, cum a Musis poesi sacrabatur, ex IX 64 elucet. Quamquam vero in Theogoniae prooemio Hesiodi consecratio narratur, de aquae potione nihil profertur.

Quod cum ita sit, aquae potionem consecrationi Hesiodi aetate posteriore affictam esse apparet. Nec vero Hesiodi cum Hippucrene coniuncti usque ad aetatem Alexandrinam ulla mentio fit, sed primum haec in Callimachi fragmento occurrit quod supra laudavimus (cf. p. 96). Hesiodum autem in consecratione poetica cum Musis congressum esse e Theogoniae prooemio notum est. Qua in re quid Hippucrene valeat, VII 55 et IX 64 docent. Quare iure colligere licet Callimachum loco quodam narravisse, quomodo Hesiodus ad Hippucrenem a Musis poeta factus sit. Callimachum autem et ipsum e divino fonte bibisse Antipatri epigrammatis planum factum est. Atque ipse quoque in Helicone a Musis poeta factus est (A. P. VII 42). Qua in re Callimachum Hesiodum, quippe quem maxime coleret (cf. epigr. 27), imitatum esse constat. Quae cum ita sint, non dubium est quin ut Hesiodum aquam Hippucrenes bibentem fecit, ita ipse quoque in consecratione poetica aquam ex Hippucrene petitam hauserit.

Cum in Theogoniae prooemio ne verbum quidem de aquae sacrae potione fiat, Callimachus hanc rem aut ab alio sumere aut ipse fingere debuit. Nec vero ab alio eum sumpsisse ex iis quae supra attulimus (p. 89 sq.), colligendum est. Quod cum ita sit, haud dubium esse videtur quin Callimachus quadam populi opinione (cf. p. 97) et orationis quibusdam imaginibus (cf. p. 97) usus illam aquae Heliconiae potionem ipse finxerit.

¹⁾ Quod VII 55 et IX 64, epigrammatis aetate prioribus, Hesiodus semel bibisse atque a Musis potionem accepisse dicitur (cf. Prop. III 3, 51), prior forma est, in Antipatri epigrammate, ubi Hesiodus ipse atque saepe e fonte hausisse dicitur, posterior.

Nec vero origo Hippucrenes equi ungula adducta et ipsa poetae fictio est. Fabulosam enim potius eam esse et Graecorum et gentium aliarum fabulae persimiles documento sunt.

Inter fictam autem aquae Heliconiae potionem et fabulam originis equi ungula factae certa quaedam ratio interesse videtur. Iam enim ipse Callimachus in illo apud Frontonem fragmento originem fabulosam Hippucrenes leviter attingit. Atque aetatis posterioris permulta exstant testimonia, quibus ficta Hippucrenes potio et fabulosa origo coniunctae sunt. Nec vero potionem illam ex originis fabula ortam esse, sed hanc fabulam potius afferri, quod Hippucrene notus poetarum fons facta est, apparet. Iam cum Hippucrene Alexandra aetate fons poeticus facta sit, etiam de originis fabula illa ipsa aetate atque primo a Callimacho mentio facta esse videtur.

3. Age vero iam fabulam ipsam accuratius inspiciamus.

Illud autem et mirum est et gravissimum, quod ipsis vetustissimis de Hippucrenes ortu testimoniis Pegasus non fontis auctor nominatur. Atque in illo Callimachi fragmento Musae Hesiodo παρ' ἔγχλιον δ' ἄξιος ἵππου incidisse dicuntur. Quo loco Pegasus significatum esse nobis quibus Pegasi et Hippucrenes conexus familiaris est, in promptu esse videtur. Attamen magna dubitatio incitur. Non sane neglego de fragmento agi, ut Callimachus Pegasi vel ante vel post facile mentionem facere potuerit. Hoc tamen negandum est. Vulgaribus enim equis saepissime a Graecis velocitatem tribui constat. Quare simplex vox δ' ἄξιος ad Pegasus non quadrat. Neque de eo usquam adhibita est. Quamquam apud Tzetsum de Aurorae curru haec legimus (Posthom. 137—39):

τὴν δ' ὠκέες εἵρουον ἵπποι

Λάμπρος καὶ Φαέθων, οἳ οἳ ζύγιοι τελέθουσιν,

Πήγασος αὐτε νεόκτητος παρήγορος ἦεν.

Sed cum non solum de Pegaso sed etiam de aliis equis dicat, ὠκός facile intellegitur. Atque ne cogimur quidem, ut hoc loco vocem ὠκέες etiam ad Pegasus referamus. Contra gravissimum est ab Ovidio vulgares equos veloces Pegaso opponi (ex Pont. IV 7, 51/52):

*sed tantum virtus alios tua praeterit omnes,
ante citos quantum Pegasus ibat equos.*

Atque quidam qui miram Pegasi figuram ad rationem referre conati sunt, ob id ipsum nihil nisi equum velocem eum fuisse dixerunt.¹⁾ Nec vero in illo Callimachi fragmento talem explicationem significari certum est. Nam ἄδικα ille βιβλία, quae γέρων ἀλαζών (frg. 86) Euhemerus composuerat, minime in deliciis habebat. Praeterea neque hymn. V 71 nec toto hoc carmine de Pegaso mentionem facit, quamquam voces disiunctae ἵππῳ ἐπὶ κράνα²⁾ indicio sunt eum de fontis auctore cogitasse.

Ac ne Aratus quidem, qui loco quem supra laudavimus (p. 93) pluribus verbis Hippucrenes originem narrat, Pegasi ullam mentionem facit. Neque enim alas Pegasi proprias aut genealogiam aut artum cum Bellerophonte conexum significat. Atque etiam hoc indicio est: pastores fonti nomen indidisse dicit, quos sine dubio fontis originem oculis percepisse finxit. Sed et vox ἵππου qua vulgaris equus notatur et vox κρήνης cuius loco πηγή expectaretur, obstant, ne quis opinetur pastores ex Arati sententia mirum Pegasus conspexisse. Praeterea Aratus Hippucrenes auctorem cum Equi sidere coniungit. Quae coniunctio ipsi ei tribuenda sit, cum de Hippucrenes origine omnino paulo ante a Callimacho mentionem factam esse intellexerimus. Veteribus autem sidus Equi alis carere videbatur. Quare scholiasta quidam etiam Aratum Pegasus Hippucrenes auctorem intellexisse arbitratus dicit: διὰ τὸ μὴ ἔχειν πτέρυγας (scil. Ἴππον) ἀπίθανον δοκεῖ τισὶ ποιεῖν τὸν λόγον („Eratosthen.“ Cataster. XVIII). Nec vero Aratum in tanto errore versatum esse concedendum est. Atque eo minus id ponendum est, quod iam Euripides catasterismum Arato certe notum protulit, ex quo Equi sidus Melanippen in equum alis carentem transformatam significaret.

Quae cum ita sint, veteres scholiastae magnum inter Aratum et posteriores auctores discrimen iure non neglexerunt: οἱ μὲν αὐτὸν (scil. Ἴππον) λέγουσι τὸν κολάψαντα

¹⁾ Singula huius explicationis testimonia in ultimo opusculi capite afferentur.

²⁾ Coniecturam ἵππειν κράνα quam Ud. de Wilamowitz fecit, Wentzelius iure repulit, Genethliacon Gottingense (1888) p. 22 sq.

τὴν κρήνην ἐν τῷ Ἑλικῶνι . . . οἱ δὲ τὸν Πήγασον¹⁾ μίμημά φασιν εἶναι τοῦ Πηγᾶσου, ὃς πορευόμενος διὰ τοῦ Ἑλικῶνος τοῖς ποσὶν ἐβῆξε πηγὴν τὴν καλουμένην Ἴππουκρήνην (schol. ad Arat. Phaen. 205). Ἄρατος μὲν οὖν φησι τὸν ἐπὶ τοῦ Ἑλικῶνος εἶναι ποιήσαντα κρήνην τῇ ὀπλῇ, ἀφ' οὗ καλεῖσθαι Ἴππουκρήνην. ἄλλοι δὲ τὸν Πήγασον εἶναι φασιν (scil. Ἴππον) τὸν εἰς τὰ ἄστρα ἀναπτάντα ὕστερον τῆς Βελλεροφόντου πτώσεως. διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν πτέρυγας ἀπίθανον δοκεῖ τισὶ ποιεῖν τὸν λόγον („Eratosthen.“ Cataster. XVIII). Atque eodem modo Aratus et alii qui vocantur in scholiis Germanici quae ad scholia Aratea redeunt, opponuntur (B. P. p. 78/79 Br.)²⁾. Qui loci tam clari et dilucidi sunt, ut non intellegam, qui Maassius de oppositis duabus opinionibus agi negare potuerit³⁾. Quae cum ita sint, Robertus recte intellexit verba in fine loci illius „Eratosthenici“ posita: διὰ δὲ . . . satis recenti tempore addita esse⁴⁾. Etenim is qui haec verba scripsit, etiam Aratum de Pegaso cogitasse opinatus est. Ceterum loci qui eundem auctorem secuti illi „Eratosthenis“ catasterismo respondent⁵⁾, additamento illo carent. Iam vides posteriore aetate Arati et aliorum discrimen non iam perspectum esse. Quod etiam Hygini locus declarat, qui Arati et aliorum sententias prave confundit: *hunc* (scil. Equum) *Aratus et alii complures Pegasum, Neptuni et Medusae Gorgonis filium, dixerunt* (Astr. II 18). Cum Aratum de Pegaso cogitasse negemus, Maassii opinionem sequi non possumus. Aratum enim Phaen. 224/25 Hesiodum corrigere arbitratur, qui quidem Pegasum ad Iovem profectum fulmen tonitrumque gestantem facit (Theog. 284 sq.)⁶⁾.

Videmus igitur in vetustissimis testimoniis Pegasum cum Hippucrene non coniunctum esse. Quod quidem confirmasse in praesens satis habemus.

¹⁾ Maassius verba τὸν Πήγασον iniuria uncis inclusisse mihi videtur; recte Robertus.

²⁾ Cf. Robert, Eratosth. cataster. reliquiae p. 120.

³⁾ Analect. Eratosthen. (1883) p. 25/26.

⁴⁾ Ibid. p. 120 n. 7; cui quae Maassius opponit, levia sunt.

⁵⁾ Robertus l. c. eos dispositos attulit.

⁶⁾ Maassius in edit. Arati ad v. 225.

4. Ceteris vero locis Pegasus Hippucrenes auctor nominatur. Quod commentum cum aliis fabulis varie conexum est. Quales conexus non vetustae fabulae populari, sed litteris tribuendas esse in promptu est.

Priusquam vero accuratius eos tractare aggrediamur, nonnulla proferantur quae nescio an ipsi fabulae vetustiori assignanda sint. Atque Avienus quidem narrat Pegasus siti pulsum Hippucrenen produxisse. Quod ut solet, copiosius persequitur (Arat. 489 sq.):

*hunc, hunc Aonio quondam memorant Helicone
inclyta post Lyciae redeuntem bella Chimaerae,
mystica qua rupes doctis obmurmurat antris,
herbarum carpsisse comas et gramine odoro
explevisse famem, sed cum sitis arida fauces
ureret ac nullo manaret gurges hiatu,
inlisisse pedem cornuque excita repente
lympa camenalem fudit procul Hippucrenen.*

Deinde idem Hesychius s. v. Ἴπποκρήνης profert, quem locum supra laudavimus (p. 93). Denique apud scholiastam ad Persii prologi v. 1 idem legimus: Ἴπποκρήνη, quod et Hesiodus dicit. Dicitur enim Pegasus errando ad Heliconem montem pervenisse ibique siti oppressus ungula fodisse: ex quo loco fons editus Musis sit consecratus.

Quamquam evinci non potest Pegasi sitim vetustissimae fabulae propriam fuisse. Etenim vel e simili fabula translata vel cum minime remota sit, per se afficta esse potest. Ut nonnullis locis quiddam invenitur, quod ad vetustam populi fabulam certo non pertineat, sed affictum sit. Pegasus enim „hinniens“ ac „fremens“ Hippucrenen fodisse dicitur:

*Hippocrene, quam pedis
pulsu citatam cornipes fudit fremens*
(Auson. ep. XXV = p. 281,9 Peip.);
*doctos Heliconidum liquores
scalptos alitis hinniēntis ictu*
(Sidon. Apollin. ep. VIII 9, 5, 2/3);

*hinniēntis et recussu
quam (scil. undam Hippocrenes) produxit ungula*
(Fulgent. praefat. ad Mytholog. l. I). Commentum autem hoc in eo positum esse videtur, quod equi hinniēntes ac fre-

mentes simul terram ungula ferire et radere solent. Vetustae autem fabulae popularis et illud proprium fuisse potest, quod Germanicus dicit Pegasus *dextri pedis* ungula Hippucrenen excussisse (Arat. 220). Neque enim erat, cur ab Arati προτέρου ποδός (Phaen. 220) recederet. Atque ipso dextro pede fontem productum esse etiam alibi occurrit. Ut Cadmus fontem dextra calce elicuisse fertur („Plutarch.“ de fluv. II 1). Quamquam fieri potest, ut etiam illud ab alia fabula translatum sit.

Iam vero consideremus, quomodo Hippucrenes origo cum ceteris de Pegaso fabulis conexa sit.

Ac saepe quidem simpliciter dicitur Gorgonis filium Hippucrenes auctorem fuisse: ἦν ἱνις κόλαψε Γοργόνος („Dosiadas“ A. P. XV 25, 19); *Gorgonis hic proles . . . Museus fontis . . . hausit* (German. Arat. 219/20); *ungula Gorgonei quam* (scil. Hippucrenen) *cava fecit equi* (Ovid. ex Ponto IV 8, 80). Qua de causa Hippucrene appellatur: *grata Medusaei signa equi* (Ovid. Fast. V 8) vel *Medusaeus fons* (Ovid. Met. V 312) vel *fons Gorgonei caballi* (Martian. Capell. lib. II 115) vel *fons Gorgoneus* (Fulgent. Mythol. I. I praefat. p. 8, 6; 12, 19/20 Helm). Alii autem loci Bellerophontis equum fontem excussisse declarant: τὸν δ' αὐτὸν (scil. equum Bellerophontis) καὶ τὴν Ἴππουκρήνην ἀναβαλεῖν (Strab. VIII 379); ταύτην τὸν Βελλεροφόντου παῖσαι ἵππον (Pausan. IX 31, 3); unde Hippucrene vocatur: *Bellerophontei humor equi* (Prop. III 3, 2).

Quibus locis Bellerophontem origini fontis interfuisse non dicitur. Hoc tamen commentum in artissima Pegasi Bellerophontisque coniunctione facile oriri poterat. Ita apud scholiastam ad Hes. Theog. 2 legimus: ἡ δὲ ἵππου κρήνη οὕτως λέγεται ἀναδοθῆναι ἐκ τῆς ὀπλῆς τοῦ Πηγάσου. ἐν γὰρ τῷ ὄρει¹⁾ διψήσαντος τοῦ Βελλεροφόντου ὁ Πήγασος τῷ ποδὶ τὴν γῆν πατάξας ἐξέβαλεν ὕδωρ καὶ ἐκλήθη ἵππου κρήνη. Atque hoc loco vetustam fabulam contineri nego. Neque inde quod Bellerophon sitivisse fertur, quicquam colligendum esse apparet ex iis quae paulo ante exposuimus. Ac nescio an sitis a

¹⁾ ὄρει pro Ἄργει codicum esse scribendum Flachius sine dubio recte coniecit.

Pegaso in Bellerophontem translata sit. Praeterea mox quandam Hygini narrationem cognoscemus, qua ipsa demum Bellerophontem cum Hippucrene coniunctum esse apparebit. Atque etiam monumenti Corinthii mentio fiat, ubi Bellerophon cum Chimaera pugnat vectus Pegaso, cuius ex ungula aqua effluit (Pausan. II 3,5). Nec vero Chimaerae pugnam et fontis originem eodem tempore evenisse constat. Immo duae fabulae ad libidinem confusae sunt.

Iam locis quos attulimus simpliciter confirmatur Gorgonis filium vel Bellerophontis equum in Helicone affuisse. Compluribus autem aliis Pegasus aliunde in montem Musarum venisse dicitur, neque tamen certo modo ceteris fabulis inseritur: Πήγασος] ὃς πορευόμενος διὰ τοῦ Ἑλικῶνος τοῖς ποσὶν ἔρρηξε πηγὴν τὴν καλουμένην Ἴππουκρήνην (schol. ad Arat. Phaen. 205); *Pegasus autem, Neptuni et Medusae Gorgonis filius, volare solitus cum venisset in montem Heliconem . . . fontem inde excussit* (schol. ad Stat. Theb. IV 61); *dicitur enim Pegasus errando ad Heliconem montem venisse* (schol. ad Pers. prol. 1).

Aliis autem locis Hippucrenes origo certo quodam modo ceteris de Pegaso fabulis inseritur. Aratus Hippucrenes originem cum catasterismo auctoris coniunxerat. Fontis autem auctor postea vulgo Pegasus putabatur. Pegasus vero rursus post Bellerophontis exitium ad caelum subvolasse dicebatur. Catasterismus igitur qui Hippucrenes originem secutus est, et altior post Bellerophontis deiectionem ascensus conectenda erant.

Quod Ovidius quidem his Fastorum versibus haud ita dilucidis conatus est (III 450 sq.):

*Gorgonei colla videbis equi.
creditur hic caesae gravida cervice Medusae
sanguine respersis prosiluisse iubis.
huic supra nubes et subter sidera lapso
caelum pro terra, pro pede penna fuit.
iamque indignanti nova frenata receperat ore,
cum levis Aonias ungula fodit aquas.
nunc fruitur caelo quod pennis ante petebat,
et nitidus stellis quinque decemque micat¹).*

¹) Versum 452 Sidon. Apollin. imitatus est: *Pegasus cognato madidus iubam veneno* (c. XIV, 9). Cf. p. 112. Qui omnino Ovidio multum usus est; cf. p. 13.

Versus 453/54: *huic supra fuit* non ad Theogoniae v. 284 sq. referendi sunt. Ibi Hesiodus ortu narrato pergit Pegasus terra relicta ad deos evectum Iovi fulmen tonitrumque tulisse. Haec autem ne verbo quidem ab Ovidio attinguntur. Immo Pegasus siderum regionem nondum consecutum esse dicit. Versibus vero illis intervallum modo expletur, quod inter Pegasi ortum et Bellerophontis domituram est.

Versus 455: *iamque . . . sine dubio ad domitum a Bellerophonte confectum spectat*, quo Pegaso frenum insolitum incitur. Postea autem Bellerophon Pegaso vectus in Lyciam se contulisse fertur, ubi cum alia facinora tum Chimaerae caedem perfecit. Deinde Pegaso in Iovis aedem pervenire conatus decidit. Quod Ovidius fusius narrare supersedit, quia uno de Pegaso verba facit, incepta autem illa e vulgari fabula magis ad Bellerophontem pertinent. Sed tamen Ovidium illum ordinem rerum a Bellerophonte gestarum in mente habuisse v. 457: *nunc fruitur caelo* documento est. Quod Pegasus caelum petivisse dicitur, ad v. 453/54 referri non potest. Neque enim his in versibus ulla voce Pegasus quiddam petivisse, sed temere in caelo, id est in aëris regione, lapsus esse dicitur. Quod igitur caelum quo *nunc fruitur*, i. e. stellarum regionem, petivisse dicitur, nisi ad temerarium Bellerophontis inceptum revocari non potest. Hoc vero res in Lycia a Bellerophonte gestas secutum esse constat. Qualis autem exitus ascensionis temerariae fuerit, ne ipse quidem Ovidius uberius dicit. Sed tamen e v. 455/56 colligere licet. Iam enim Pegasus frenum receperat, cum levi ungula Hippucrenen produxit. Atque enuntiatione: *cum levis Aonias ungula fodit aquas* inexpectati quiddam contineri particula *iam* versus prioris et vocula *cum* cum indicativo perfecti constructa documento sunt. Pegasus autem fontis auctorem fieri nihil est, quod domitura modo narrata praeter opinionem accidat. Illud vero praeter opinionem evenit, quod Pegasus si in Helicone fontem excutit, sine dubio frenis liberatus est. Neque enim Bellerophon ipse cum Hippucrene quicquam conexus est. Quare Ovidium vulgarem fabulam in mente habuisse videmus, ex qua Pegasus Bellerophonte deiecto libertatem recuperat. Qua de causa ungula *levis* appellari videtur. Ovidius igitur usque

ad Bellerophontis lapsum omnino vulgarem fabulam secutus est. Nec vero Pegasus post Bellerophontis exitium in caelum pervenientem facit. Sed ut cum vulgari fabula narrationem Arati coniungat, Pegasus e Lycia profectum in Boeotia Hippucrenen fecisse fingit¹⁾. Unde ad sidera se levavit. Cum Ovidius hunc unius Pegasi volatum non post ipsam Bellerophontis ascensionem factum esse fingat, in v. 457 alterum alteri sic opponere potest: *nunc ante*. Quo eodem e versu et illud rursus apparet Bellerophontem Hippucrenes origini non interfuisse.

Hunc igitur rerum ordinem Ovidius finxit: Pegasus Bellerophontem deicit, in Boeotiam avolat, Hippucrenen producit, inter sidera constituitur. Atque omnino eum temporis ordinem observasse ex iis quae exposuimus intellegitur. Minime igitur cum Rehmio consentiendum est, qui arbitratur ab Ovidio praeberi „*keine Erzählung, sondern eine Zusammenfassung der wesentlichen Momente des Mythos, ein Bild ohne Handlung, wie es das bekannte Spudasche Relief ist*“²⁾.

Eundem atque Ovidius ordinem Avienus in versibus quos supra laudavimus (p. 104), observat. Quibus, ut solet, brevioram Arati narrationem longiorem atque ampliorem reddit. Vereor autem, ut Avienus ad Ovidium redeat. Et enim propria indicia desunt, et Ovidii locum satis obscurum esse cognovimus. Incertum autem est, an ex eodem fonte (enchiridio quod vocant mythologico ?) hauserint. Illud vero reiciendum est, quod Avienus e vulgari fabula memoriter addiderit Pegasus e Lycia in Graeciam rediisse³⁾. Nam ipse ille Pegasi reditus a vulgari fabula maxime abhorret.

Iam vero apud Hyginum Hippucrenes origo aliter cum ceteris de Pegaso fabulis confunditur. Astr. II 18 Hyginus scholia Aratea („Eratosthen.“ catast. XVIII) et

¹⁾ Simili libertate iam Euripidem in Stheneboea usum esse supra vidimus p. 56 sq.

²⁾ Mythogr. Untersuch. ueber griech. Sternsagen (1896) p. 33.

³⁾ Sic G. Sieg, De Cicerone, Germanico, Avieno, Arati interpretibus (1886) p. 39.

scholia ad Hom. II. VI 155 conglutinat¹⁾. Atque initio dicit: *hunc* (scil. Equum) *Aratus et alii complures Pegasus, Neptuni et Medusae Gorgonis filium, dixerunt, qui in Helicone, Boeotiae monte, ungula feriens saxum fontem aperuit, qui ex eius nomine Hippocrene est appellatus.* Genealogia Pegasi quam profert, e scholio Homerico sumpta est; cetera ad Eratosthenem qui vocatur redeunt. Neque Hyginum iam perspexisse Aratum et alios qui de fontis origine omnino mentionem non faciunt, opponi iam supra diximus (p. 103). Quo factum est, ut Arati aliorumque memoriam particula et copulet. Iam Hyginus illo loco ita pergit, ut Bellerophontem ab Antia calumnia adhibita a Proeto in Lyciam missum, pugnamque Chimaerae ad verbum fere e scholio Homerico deprobat. Hunc autem narrationis finem facit: *Unde victor effugiens, post fontis inventionem cum ad caelum contenderet evolare, neque longe iam abesset, despiciens ad terram timore permotus decidit ibique perisse dicitur. equus autem subvolasse et inter sidera ab Iove constitutus existimatur.* Fatum Pegasi Hyginus non ad scholion Homericum profert, sed „Eratosthene“ usus est. Ibi vero duplex memoria invenitur: Arati qui Pegasi catastasterismum cum Hippucrenes origine conectit, altera „aliorum“ qui Pegasus post funestum Bellerophontis ascensum sideribus insertum esse dicunt. Ut autem narrationis initio, ita in fine Hyginus duplicem memoriam copulat. Itaque cum Pegasus et post Hippucrenes originem et post Bellerophontis exitium subvolasse confundendum esset, aliter fieri non poterat, nisi ut Hippucrenes origo ante Bellerophontis ascensum poneretur. Quod cum ita esset, fingendum erat etiam Bellerophontem e Lycia in Boeotiam profectum atque ab Helicone ascensum conatum esse, post quem Pegasus solus ad sidera subvolasset. Qua in re sane apparet, quantopere Aratus et „alii“ qui vocantur discrepent. Neque enim nisi mutatione fabulae maxime temeraria compensari possunt. Nihil autem est, quod verba *post fontis inventionem* quibus Hyginus utitur, interpolata esse ponamus. Quae opinio plane eo minime comprobatur, quod his verbis sublatis temeraria

¹⁾ Cf. Robert, Eratosthenis catast. reliquiae p. 229, qui et Hygini locum et Arati Homerique scholia ita attulit disposita, ut quae singulorum communia sint, facile eluceat.

confusio illa deest. Immo vidimus hanc confusionem maxime concinere cum Hygini errore qui ipso loci illius initio occurrit. Ac ne illud quidem offensionem est, quod Hyginus voce *inventione* utitur. Neque enim cum non ad Pegasus, sed ad Bellerophontem spectet, dicere poterat fonte facto eum ascendere conatum esse. Et vox *inventio* bene ad Bellerophontem apta est, quem nescio an siti vexatum fontem expetivisse putaverit. Quae quidem res certe non remota erat, cum fontium inventio apud veteres omnino maximi momenti esset¹⁾.

Quare ne Welckeri quidem qui et ipse interpolationem ponebat, coniectura probanda est. Verbis enim illis explicationem Fulgentii significari opinabatur, cui Pegasus fons aeternus (scil. sapientia) esse videtur (Mythol. III 1)²⁾.

Iam cum Hyginus Hippucrenen ante Bellerophontis ascensionem produci faciat, ab Ovidio maxime dissidet. Itaque Rehmii opinio refutanda est, qui verbis *unde victor effugiens etc.* evinci putat Hyginum Fastos Ovidianos (III 450 sq.) secutum esse³⁾.

Praeterea ex illis quae de Hygini loco diximus, apparet ne illud quidem comprobandum esse, quod Braunius et alii (cf. p. 73) verbis *unde victor etc.* notum anaglyphum Spadanum explicari opinantur. Hoc enim in opere Bellerophontem Pegaso haustum Hippucrenes praebere putant, priusquam ad caelum subvolet.

Iam vero cum fabula prorsus alia Nicander originem Hippucrenes coniunxit. Quarto enim e libro Ἐτεροποιούμενα ea deprompta sunt, quae Antoninus Liberalis c. 9 profert. Qua in re indicem non ab ipso Antonino additum sed tamen fide dignum iure sequi licet. Atque Pieri filiae certamine cum Musis in Helicone contendisse dicuntur: ὅτε μὲν οὖν αἱ θυγατέρες ἄδοιεν τοῦ Πιέρου, ἐπήγλυε πάντα καὶ οὐδὲν ὑπήκουε πρὸς τὴν χορείαν, ὑπὸ δὲ Μουσῶν ἴστατο μὲν οὐρανὸς καὶ ἄστρα καὶ

¹⁾ Cf. Curtius, Griech. Quell- und Brunnen - Inschriften, Abhandlg. der Goetting. Gesellsch. der Wissensch. 1859, p. 163; W. Schwartz. Zeitschr. für Volkskunde II (1892) p. 70; Oder, Philol. N. S. VII (1896) 229 sq.

²⁾ Griech. Trag. II p. 787

³⁾ Ibidem p. 33 n. 2.

θάλασσα καὶ ποταμοί, ὁ δ' Ἑλικῶν ἤξετο κηλούμενος ὑφ' ἠδονῆς εἰς τὸν οὐρανόν, ἄχρις αὐτὸν βουλῆ Πησείδωνος ἔπαυσεν ὁ Πήγασος τῆ ὀπλῆ τὴν κορυφὴν πατάξας¹⁾. Nec vero hoc unguulae ictu Hippucrenen ortam esse dicitur. Hoc tamen apud Nicandrum scriptum fuisse per se verisimile est. Atque quodam Ovidii loco e Nicandro sumpto quem infra tractabimus, planum fit. Nicander autem narrat Pegasi ictum quo Hippucrene oritur, Helicone altius sublato adductum esse. Heliconem vero subsiluisse atque caelum, sidera, mare, flumina substituisse sine dubio uni poetae ascribendum est. Qui nimirum non supersedebat ample ac copiose depingere, quantopere cantus Musarum ipsa inanima commoverit et percussit. Quales descriptiones carminibus omnium temporum gentiumque familiares esse constat. Velut Alcaeus similem in modum in hymno Apollinis depinxerat in adventu Phoebi Castaliae aquas magis luxisse Cephisumque undas altius sustulisse. Vera igitur a fabula Nicandri descriptio abhorret. Unde apparet originem Hippucrenes a Pegaso adductam uno a poeta cum certamine Musarum coniunctam esse. Neque commentum ita male fictum erat, cum fons Musarum ipso earum cantu adduceretur. Ac certe ne illud quidem fabulosum est, quod Pegasus βουλῆ Πησείδωνος Heliconem percussisse fertur. Nam Neptunus si omnino unquam in Helicone valuit, aetate antiquiore oblivioni datus est²⁾. Ac vereor, ut ipsa in ea re quae et parvi momenti est neque alibi usquam traditur, memoria Neptuni semper haeserit. Immo illa Neptuni mentio qui Pegasi pater fertur et omnibus aquis praeest, nihil spectat nisi ut explicetur, qui Pegasus tum in Helicone affuerit. Neque enim ipsa de Hippucrene fabula explicationem praeberi vidimus. Cui rei documento est, quod Pegasus πορευόμενος vel *volare solitus* vel *errans* ad Heliconem venisse dicitur (cf. p. 106).

Narratione autem Nicandrea Ovidius ea qua solet libertate usus est. Quarto enim et quinto Metamorphoseon libro facinora Persei persequitur. Quibus omnibus Minerva interfuit. Post Polydectae autem ultionem Minerva a Perseo

¹⁾ Verba ἐπήλυε πάντα καὶ οὐδὲν facile ipsius Nicandri fuisse possunt.

²⁾ Gruppe, Griech. Mythol. I p. 75.

digressa ad Musas Heliconias proficiscitur. Quibus hanc itineris sui causam fuisse dicit (Met. V 256 sq.):

*fama novi fontis nostras pervenit ad aures,
dura Medusaei quem praepetis ungula rupit.
is mihi causa viae, volui mirabile factum
cernere. vidi ipsum materno sanguine nasci.*

Musae autem ipsae Minervae cum alia tum certamen narrant, quod cum Pieri filiabus exercuerint. Quae quidem victae *nuper* (v. 300) in aves conversae sunt. Musae autem si superatae essent,

fonte Medusaeo et Hyantea Aganippe

(v. 312) cedere debebant. Secus igitur atque apud Nicandrum Hippucrene iam ante certationem exstitisse dicitur. Ovidius enim mira fontis origine usus est, ut explicaret, cur Minerva a Perseo ad Musas profecta esset. Illud autem omnino spectavit, ut narrationem de Perseo factam cum certatione Musarum conecteret compositione carminis non interrupta. Cum Hippucrene a Minerva fons *novus* dicatur (v. 256), sed inter originem a Pegaso adductam et deae adventum Musarum certatio intercedat, Ovidius fingit Hippucrenen paulo post Pegasi ortum, qui IV 786 narratur, productam esse. Quare fontis origo ceteris de Pegaso fabulis in Metamorphosis prorsus aliter atque illo Fastorum loco inseritur.

Qua in re Ovidium Sidonius Apollinaris secutus est, qui de Hippucrene fonte haec dicit (c. XIV 8/9):

*quem fodit pede Pegasus volanti
cognato madidus iubam veneno.*

Atque etiam Mythographus Vaticanus II 112 ad Ovidium redit: *utero autem eius equus Pegasus cum pennis exit, qui currens ad montem Aonium Boeotiae pede percussit terram et fontem Castalium produxit, qui et Pegaseus vel Aonius est appellatus.* Quibus locis non magis quam iis quos supra tractavimus fabulas vetustas contineri apparet.

Atque idem de quodam Nonni loco dicendum est, quo Hippucrenes origo cum Liberi in Boeotiam adventu coniungitur. Bacchantium enim comitatus mirum cantum exercet. Qui quantopere animos audientium affecerit vel percusserit, copiosa oratione exponitur. Quod aequae ac supra (p. 111) uni licentiae poeticae tribuendum esse per se intellegitur.

Atque etiam Pegasus qui nescio quo pacto in Helicone adest, commovetur, ut unguulae ictu Hippucrenen eliciat (Dionys. XLIV 6/7):

καὶ κρήνη κελάδησεν, ὅπη χθονὸς ἄκρον ἀράξας
ὕγρὸς ὄνυξ ἔππειος ἐπώνυμον ἔγλυφεν ὕδωρ.

Denique Solini locus (c. 7, 22/23) proferatur, qui unde haustus sit eruere nequeo. Quo dictum est miram Hippucrenes originem veram esse historiam a poetis in dulcedinem fabulae compositam: *apud Thebas Helicon sed ante alios* (scil. fontes) *Aganippe et Hippocrene: quos Cadmus, litterarum primus repertor, quoniam equestri exploratione deprehendisset, dum rimatur, quatenam insideret loca, incensa est licentia poetarum, ut utrumque pariter disseminaretur, et quod aperti forent alitis equi unguula et quod poti inspirationem facerent litterariam.* Quo loco veram relationem inversam quidem esse in aperto est. Quod enim fontes illi *inspirationem litterariam* facere dicuntur, cum Cadmo, litterarum inventore, coniuncti sunt; quodque unguula equi producti feruntur, *exploratio equestris* ficta est¹⁾.

II. De Pegaso cum Aganippe conexo.

Loco Solini quem modo attulimus, non solum Hippucrene sed etiam Aganippe a Pegaso producta esse dicitur. Alterum vero huius fabulae testimonium frustra quaeras.

Attamen Maassius quem ceterum ipse locus Solini fefellit, comprobare sibi videtur fabulam illam etiam de Aganippe exstitisse²⁾.

Cuius viri doctissimi argumenta accuratius examinanda esse manifestum est.

Ac primum quidem existimat Aganippen significari *lacu Gorgoneo*, cuius mentionem fecit Propertius III 3, 32. Quo in carmine poeta Heliconio in monte se recubare fingit,
Bellerophontei qua fluit humor equi.

¹⁾ Ceterum Cadmus etiam apud „Plutarchum“ de fluv. II 1 cum fonte cohaeret: Κάδμος περιήρχετο τὴν χώραν ζητῶν πηγὴν atque in antro Corycio pede dextro fontem fecisse dicitur.

²⁾ Herm. XXXI (1896) p. 381 sq.

Cui fonti iam os suum admovit, ut sacri latices heroi carminis studio ipsum instinguerent, cum Apollo huic consilio obstitit, qui poetam de finibus indolis suae admonens plectro aliam ei sedem monstrat, quo nova semita pervenit. Ibi antrum Musarum est longius a Propertio descriptum, in quo cum alia sunt tum lacus ille Gorgoneus. Calliope et ipsa poetam docens, ad quod genus poesis natus sit, carmini heroo initiat, cum lymphis a fonte petitis ora eius Philetaea rigat aqua (v. 51/52). Lacus ille propterea haud dubie nominatur Gorgoneus, quia pariter a Pegaso, Gorgonis stirpe, fusus esse existimatur. Duos igitur hoc loco fontes Pegaseos Propertius divisit. Neque tamen cum hac re congruere videtur verbis versus secundi: *Bellerophontei qua etc.* locum quo poeta recubat, certo definitum videri, ut unus Pegasi fons Heliconius ponatur. Haec quae inesse videtur discrepantia, quomodo solvenda sit? Ac Maassius quidem putat loca omnia quae Propertius in illa elegia affert, re vera exstare, ut duo Pegasi fontes qui in Helicone fluant, distinguantur. Quod si ita esset, apparet certam notionem sedis in qua se quiescere poeta fingit, versu 2 contineri nondum posse. Sed cum Propertius sine dubio de certo recubandi loco cogitaverit, Maassius existimat fontem Pegaseum versu 2 generatim memoratum, sexto demum versu proprie notari, cum fons ille esse dicatur, ex quo Ennius biberit. Hac tamen mentione res plane alia spectatur. Tota enim illa elegia epicae poesis genus carmini elegiaco variis dicendi modis opponitur, ut magni fontes (v. 5), equus (v. 40), Mars (v. 42), carminis heroi significationes parvis oribus (v. 5), parvis rotis (v. 18), cycno Veneris (v. 39), quibus elegia notatur, contrariae sint. Eodem sensu Ennius, poeta epicus, et Philetas, elegiarum auctor, de quibus alter ex altero Pegasi fonte hauserit, opponuntur. Quorum nominibus allatis Propertius duos illos fontes Pegaseos sane dividit, ita tamen, ut non Heliconis descriptionem spectet, sed epicum et elegiacum fontem discernat. Ac num, si poeta Musarum montem describere in animo habuisset, primo utramque scaturiginem Pegaseam appellasset, tum multis verbis alteram ab altera seiunxisset? Nonne potius ad certam notionem praebendam proprium utriusque nomen protulisset? Quare si Propertius

Ennii mentione locum quendam definire non sibi visus est, sed tamen de certa quietis sede cogitavit, iam vides hanc ipso versu 2 accurate et distincte significari. Quod si ita est, iam concludere licet lacu qui appellatur Gorgoneo omnino non fontem qui re vera in Helicone exstet, significari. Neque quicquam interest hunc fontem vere fluere, quippe quo ad nihil aliud opus sit, nisi ut epico poesis generi fonte Ennii significato simili figura elegia opponatur. Quod flumen v. 2 nominatum vere exstat, nullius momenti est. Alterum autem fontem quem Gorgoneum nominat, item a Pegaso factum esse dicit, quia et ipse poetarum sacer putandus est. Fons enim Pegasi et flumen poetarum idem valent. Ut paulo infra videbimus Castaliam Parnassi, cum poetarum fons sit, a Pegaso productam dici, rursus Pirenen Corinthiam, cum ab equo alite excussa feratur, furoris poetici auctorem appellari. Ceterum videas quae praeterea Rothsteinus contra Maassium attulit¹⁾.

Iam vero ad alterum locum transeamus quo nixus Maassius Aganippen a Pegaso factam esse opinatur²⁾. Qui in Ovidii Fastis est, ubi poeta Musas hoc modo alloquitur (V, 7/8):

*dicite, quae fontes Aganippidos Hippocrenes,
grata Medusaei signa tenetis equi.*

Ac voci *Aganippidos* vim adiectivi inesse cum *Maassio* consentimus. Hoc tamen attributo relationem quae inter Hippocrenen et Musas est, abundanter significari *Maassius* reicit. Cur enim, ait, quod Hippocrenes proprium est, id insuper altero Musarum fonte eodem in monte sito significatum sit? Qua de causa Hippocrenen illic generalem significationem fontis equini habere censet, qui demum adiectivo *Aganippidos* certo definitus sit. At nonne primum quod *Maassius* profert, contra ipsum dici potest? Cur enim quod *Aganippes* proprium est (*Maassius* ipse memorat vocem equi etiam in *Aganippe* inesse), id insuper altero eiusdem montis fonte equino significatum sit? Tum hoc contra eum afferendum est. A Propertio lyra Musarum *Aganippea* (II, 3 20),

¹⁾ In ed. vol. II p. 338—42.

²⁾ Ibid. p. 397/98.

a Statio canna Apollinis Castalia (Theb. VI 337) appellatur. Nec vero lyrae neque cannae cum ipso fonte quicquam est, sed adiectiva illa unam relationem Musarum et Apollinis, quorum singuli fontes sacri sunt, significant. Qua eadem ratione si Ovidianam vocem Aganippida accipias, abundantia dictionis nihil offendat. Maxime vero mirum esset Hippucrenen, quae semper et Graecorum et Romanorum in litteris certus ille fons sub vertice Heliconis situs intellegitur, uno atque Latini auctoris loco generalem fontis equini significationem habere.

Ac ne tertius quidem locus de quo Maassius disputat, argumento est etiam Aganippen a Pegaso productam esse. Vir enim doctissimus censet primum Persii versum:

nec fonte labra prolui caballino

non modo, ut ceteris videtur, Hippucrenen respicere, verum latius patere. Quarto enim prologi versu

*Heliconidasque pallidamque Pirenen
illis remitto etc.*

Pirenen, nympham Corinthiaci fontis a Pegaso producti, ut Musam Heliconiis sororibus quarum Aoniae aquae sacrae sunt, adiungi putat. Itaque caballinum versus primi fontem etiam ad Pirenen et Aganippen referendum esse contendit. Attamen etiamsi veri dissimilem inter v. 1 et v. 4 relationem acciperemus, opinio illa minime comprobata esset. Licet enim Heliconiades in v. 4 nominatae sint, nullo modo concludi potest Persium non solum una de Hippucrene sed de duabus Heliconis fontibus Pegaseis cogitasse.

Neque Callistrati quodam loco argumentum continetur, quo Aganippen a Pegaso ortam esse confirmetur. Dicit enim ἐν τῷ Ἑλικῶνι (τέμενος δὲ τῶν Μουσῶν σκιερὸν ὁ χώρος) παρὰ τοὺς Ὀλμειοῦ τοῦ ποταμοῦ ῥύακας καὶ τὴν ἰοιδέα Πηγᾶσου κρήνην Ὀρφείως ἄγαλμα τοῦ τῆς Καλλιόπης παρὰ τὰς Μούσας εἰστήκει (ecphr. 7). Welcker bene iam animadvertit ἰοιδέα versum tertium Theogoniae Hesiodae respicere¹⁾. Qui Hesiodi fons ἰοιδής plerumque, non tamen iusta de causa, Aganippe intellegitur. Quo modo etiam Callistratum Hesiodi locum interpretatum esse Maassius censet. Atque cum fontem appellet Πηγᾶσου κρήνην, novum hoc esse testi-

¹⁾ In ed. Iacobsiana Philostrati p. 705.

monium, quo etiam Aganippe cum Pegaso conexa esse doceatur. At Hesiodi κρήνην Ιοειδέα re vera a Callistrato Aganippen esse existimatam Maassius ne uno quidem argumento comprobavit. Nec vero quicquam impedimento est, quominus fontem illo Hesiodi versu memoratum eundem atque Hippucrenen v. 6 nominatam putes. Atque hanc scholiastae interpretationem fuisse apparet. Dicit enim ad v. 2: καί τε περί Ἑλικῶνα καὶ περί βωμῶν ὄρχεῦνται, pergiturque: ἐν τῷ αὐτῷ γὰρ ὄρει καὶ κρήνη ἦν καὶ βωμός. ἡ δὲ ἵππου κρήνη (haec tamen demum v. 6 nominatur) οὕτως λέγεται . . . ; (iam sequuntur verba quae supra attulimus p. 105.) . . . ἐκλήθη ἵππου κρήνη. ἄλλοι δὲ Πηγασίαν ἐκ τοῦ ὄρους; tum demum interpretationes horum verborum sequuntur: Ιοειδέα (v. 3), ἔρισθενέος (v. 4), τέρενα (v. 5), Περμησσοῖο (v. 5) quod flumen ab Hesiodo ante ipsam Hippucrenen ponitur, Ὀλμειοῦ (v. 6) ipsam post Hippucrenen nominati; deinde sequitur scholion ad v. 8 allatum. Nec vero de Hippucrene quicquam iam profertur. Quare hanc tertio iam in versu scholiastam cognovisse manifestum est. Neque aliter Weizsaecker hunc locum interpretatus est, quippe qui dicat poetam in v. 3 Hippucrenen appellare Ιοειδέα¹⁾.

Quae cum ita sint, vix quisquam neget etiam Callistratum Hesiodi verba hoc modo intellegere potuisse. Atque hercle rem ita se habere illud indicio est, quod a Callistrato Πηγάσου κρήνη cum Olmio coniungitur. Hoc enim ipsum flumen plus semel cum Hippucrene conexum videmus. Primum Lucianus dicit hominem quem perstringit, Musas ab Helicone depulsuras fuisse, ὡς μὴ μᾶναι μήτε τὸν Ὀλμειὸν μήτε τὴν τοῦ ἵππου κρήνην (adv. indoctum 3). Deinde apud Nonnum Naias in conspectu Semeles in flumine Asopo corpus lavantis existimat Musam forte ab Helicone suas in aquas degressam

Πηγασίδος (προλέλοιπε) μελισταγῆς ἵππιον ὕδωρ
καὶ ῥόον Ὀλμειοῖο

reliquisse (Dionys. VII 233 sq.). Causa vero, cur Hippucrenen cum Olmio semel atque iterum coniunctam videamus,

¹⁾ In Rosch. M. L. s. v. Hippocrene I 2679.

sine dubio ea est, quod in v. 6 Theogoniae Hesiodae altera cum altero conexa est. Ipsa enim initia carminum nobilium persaepe tecte et aperte significari constat. Ac Callistratum Theogoniae Hesiodae rationem habuisse hac quoque e re discimus. Locum quo Orphei signum collocatum fuerit, circumscribere in animo habet. Quod hisce verbis facit: *παρὰ τοῦ Ὀλμειοῦ τοῦ ποταμοῦ βύακας καὶ τὴν Ἰοειδέα Πηγᾶσου κρήνην*. Nec vero descriptio certam ullam loci notionem praebet. Quae res perbene explicatur, si Callistratum Theogoniam Hesiodeam respexisse ponis.

Tum Maassius affert opinioni ex qua etiam Aganippe fons Pegaseus sit, utique nominis interpretationem favere, cum vox equi ut in Hippucrene, ita in Aganippe insit. Quod quamquam constat, tamen nomina duorum fontium inter se differunt. Quam ad rem Wilamowitzius animum advertit. Hippucrenen enim ab equo apertam esse, Aganippen ab equa nomen ducere monet¹⁾.

Quae cum ita sint, unus quem supra attulimus Solini locus restat, quo etiam Aganippe ab equo alite producta dicatur. Hoc tamen veterem nobis fabulam tradi vereor ut quisquam existimet. Immo quae de Hippucrene fertur origo in Aganippen translata erit, quod ipsa quoque Musarum in Helicone fons est. Nisi forte factum est conexus gratia haud ita ingeniosi, quo et Hippucrene et Aganippe fontes cum Cadmi expeditione quae fingitur equestri coniuncti dicuntur. Equi enim vox etiam in Aganippe inest. Quare omni caremus ansa qua nixi etiam Aganippen vetere ex fabula cum Pegaso arte conexam fuisse colligere possimus. Immo pro certo affirmare licet Pegaseum fontem eam non existimandam esse.

III. De Pegaso cum Castalla conexo.

Iam vero etiam in alterum fontem, Castaliam Parnassi, Hippucrenes origo translata est. Auctoritate enim poesis Alexandrinae haustus Hippucrenes usitata figura facta erat, qua divino quodam instinctu a Musis se incitatos

¹⁾ Griech. Trag. II p. 230.

esse poetae significabant. Neque tamen hunc spiritum divinum minus inflat Apollo, qui antiquissimis ex temporibus poetis praesidere creditus est¹⁾. Quare minime mirum est illum instinguendi modum in Apollinem translatum esse, ut qui ipsius quodam de fonte poti sint, pariter poetae fieri fingantur. Atque etiam cum fontibus ut deus vaticinandi iandudum coniunctus erat (cf. p. 97). Fontium autem Apollinis sacrorum maxime nobilis Castalia Delphica fuit (cf. Paus. X 8,9). Quam et ipsam animum vaticinandi studio incitasse accepimus. Sed tamen a Romanorum demum auctoribus fons poetarum sacer appellatur: Ovid. Amor. I 15 35/36:

mihī flavus Apollo

pocula Castalia plena ministret aqua;

Stat. Silv. V 5, 1 sq. ibid. II 2, 36 sq., ubi Castalia fontes *Phemonoēs* appellatur; Martial. VII 22, 3/4; Nemesian. Cyneg. 5/6; Ennodius c. I 9, 12 sq.; c. II 66, 8; dictio 9 p. 254 Hartel. Atque etiam Musae ipsae quae ut Apollo in Helicone, ita in Parnasso colebantur, e Castalia hausisse feruntur (Martial. XII 3, 13/14): *fons Castalius,*

unde novem dominas saepe bibisse ferunt.

Cum et Helicon et Parnassus Apollinis Musarumque sacri essent, factum est, ut montes magno quamvis intervallo disiuncti tamquam propius alter alterum accederent, denique confunderentur²⁾. Ut Statius Parnassum verticem Aonium nominat (Silv. V 1, 113). Ac Nemesianus Aonium, Heliconem, Castaliam confundit: *venandi cano . . . Aonio iam nunc mihi pectus ab oestro aestuat: ingentes Helicon iubet ire per agros Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno ingeri* (Cynege. 1 sq.). Scholio ad Stat. Achill. I 10 *Aonia regio* dicitur, *in qua Parnassus situs sit*; schol. Aristid. p. 65; 28 Dind. *Κασταλική Βοιωτίας* esse dicitur; Steph. Byz. s. v. *Τιβροραία* urbs Boeotiae nominatur, quae in summo Parnasso sit; apud Servium Dan. ad Verg. Ecl. X 11

¹⁾ Rosch. M. L. I 435.

²⁾ Cf. R. Foerster, Francesco Zambecari und die Briefe des Libanios (1878) p. 298 sq.

haec legimus: *Parnassus mons Boeotiae, Pindus Thessaliae: ambo Apollini et Musis consecrati*; apud Servium Dan. ad Verg. Aen. X 163: *Parnassus mons est Thessaliae iuxta Boeotiam, quem locum aliquando Aones tenuerunt, qui in duo finditur iuga, Cithaeronem Liberi et Heliconem Apollinis et Musarum. ex quo fons manare dicitur, quem Pegasi ungula protulisse fertur, qui vocatur Hippocrene*. Quo quidem loco non solum Boeotia et Phocis, sed etiam tertia Musarum sedes, Thessalia, confunduntur.

Quae cum ita sint, nihil mirum est etiam duos poetarum fontes, Castaliam Parnassi et Pegasidem Heliconis, confundi. Quod his Ennodii locis fit (c. I 5, 1. sq.): *ingenii cultor, fons oris, copia linguae, umor Castalius veniat . . . nisi flumine largo sicca Pegaseo perfundam membra liquore Quam bene pandit aquas, cui blandus murmurat amnis*; cf. c. II 66, 8: *Castalii mellis murmura blanda bibi*. Eadem confusio occurrit c. II 109: *numquam . . . in me fluxerunt commoda Castalii . . . spes nova quid stimulas gurgitis Aonii*¹⁾.

Atque ad extremum Pegasus etiam Castaliam produxisse dicitur: Myth. Vat. I 130: *Pegasus] pede suo fontem Castaliae sive Pegaseum produxit*; Myth. Vat. II 112: *Pegasus] pede percussit terram et fontem Castalium produxit, qui et Pegaseus vel Aonius est appellatus*; Albric. de deor. imag. XXI: *Pegasus] ungula terram fodiens fontem erumpere faciebat, qui Castalius dictus Musis ad potum productus est*.

IV. De Pegaso cum Pirene conexo.

Iam de alio fonte, Pirene Corinthia, disseramus, quae item a Pegaso fossa esse dicitur. Quem ad fontem Pegasus e vetustiore de domitu fabula referri supra vidimus (cf. p. 44 sq.) Inferiore vero aetate atque a Romanis maxime aevi imperatorii poetis Pegasus etiam Pirenen fontem produxisse traditur. Quam fabulam priore aetate nusquam afferri per se nullius momenti est. Ipsos enim posteriores auctores veterrimas fabulas persaepe primos testari constat. Attamen

¹⁾ Hartungius quoque (Relig. der Griechen III p. 222) Castaliam in Helicone collocat.

cum antiquitus et aliae de Pegaso fabulae et ipse ad Pirenen domitus litteris saepe prolata atque arte expressa sint, illud priorum auctorum silentium non neglegendum esse videtur.

Primum autem apud Statium Pirenen a Pegaso excussam esse legimus. Adrasti enim inter exercitum

*it comes Inoas Ephyre solata querelas,
Cenchreaeque manus, vatum qua conscius amnis
Gorgoneo percussus equo, quaque obiacet alto
Isthmos et a terris inclinata repellit*

(Theb. IV 59 sq.). Alibi quoque ab eodem fabulae illius mentio fit:

*Lucani proprium diem frequentet,
quisquis collibus Isthmiae Diones
docto pectora concitatus oestro
pendentis bibit unguulae liquorem*

(Silv. II 7, 1 sq.). Atque apud Dionem Chrysostomum scriptum est: οἱ ποιηταὶ . . . φασὶν ἀνεῖναι κρήνην ἐν Κορίνθῳ χαράξαντα τῇ δπλαῖ (Borysth. (XXXVI) 46). Quae ipsa ultima omnino fabulae mentio est. Nomen vero fontis nullo illorum locorum prodi vides. Sed tamen ad Pirenen fontem fabulam referri cum per se verisimile sit, tum hoc Persii loco evinci potest. Qui quidem in prologo (v. 4) dicit aliis poetis se remittere

Heliconidas pallidamque Pirenen.

Nympham autem fontis Corinthii Musae loco sororibus Heliconiis ideo adsertam esse patet, quod etiam Pirene a Pegaso producta putabatur. Quae cum ita sint, Persius primus illius fabulae testis est.

Gravissima autem res est, quod fabulae mentio ipsis iis locis deest quibus maxime exspectatur.

Atque Strabo eo quem supra iam laudavimus loco dicit: ἐνταῦθα δὲ φασὶ πίνοντα τὸν Πήγασον ἀλῶναι ὑπὸ Βελλεροφόντου, πτηνὸν ἵππον ἐκ τοῦ τραχήλου τοῦ Μεδούσης ἀναπαλέντα κατὰ τὴν Γοργοτομίαν. τὸν δαυτόν φασὶ καὶ τὴν Ἴππουκρήνην ἀναβαλεῖν ἐν τῷ Ἑλικῶνι, πλήξαντα τῷ ὄνυχι τὴν ὑποπεσοῦσαν πέτραν (VIII 379). Iam quis putaverit eum vocula καὶ usum esse, ut brevissime etiam Pirenen, de qua quidem illic verba facit, a Pegaso factam esse indicet, cui Hippucrenes originem subiungat. Sed hoc voce καὶ significari certo negandum est.

Hoc enim si ita esset, Strabo non proferret, quod et aptum esset, cum ad Pirenen de qua verba facit, pertineret, et minime notum, cum primus fabulam Pirenes a Pegaso productae narraret. Neque vero e Pegasi haustu Pirenes ab eodem factae coniecturam capiendam esse in aperto est. Contra Strabo diserte diceret, quod et multo minus aptum est, Pegasi ortum fontisque alieni originem, et omnibus notum. Quare vocula καί non Pirenes aequam atque Hippucrenes originem significari, sed fabulis quas ante de Pegaso protulit, aliam addi censendum est. Strabo igitur qui ipsam Corinthum oculis spectavit, uberius de Pirene dicit atque etiam de origine Hippucrenes ibidem mentionem facit, Pirenen vero ipsam a Pegaso factam esse silet. Unde patet eum Pirenes originem a Pegaso adductam ignorasse neque Corinthi comperisse. Quae res, cum Strabo diligentia non caruerit, minime neglegenda sit. Nec sine causa coniciatur fabulam Pirenes a Pegaso productae Corinthi omnino non notam fuisse.

Neque alii loci desunt quibus illa coniectura comprobetur.

Onestes enim Corinthius¹⁾ in epigrammate originem fontis Heliconii a Pegaso facti cum origine Asopidos, Acrocorinthi sitae, comparat (A. P. IX 229):

Ἄσωπις κρήνη καὶ Πηγασίς ὕδατ' ἀδελφά,
ἔππου καὶ ποταμοῦ δῶρα ποδορραγέα.
χῶ μὲν ἔκοψ' Ἐλικῶνος, ὃ δὲ φλέβας Ἀκροκορίνθου
ἔπληξ'. ὦ πτέρνης εἰς ἴσον εὐστοχίῃ²⁾.

Sed cum Onestes ipse Corinthius sit, sine dubio multo magis Pirenes a Pegaso factae comparatio exspectatur. Iam cum alia potius Corinthi scaturigo afferatur, fabulam illam Corinthi omnino non notam fuisse comprobatur.

Atque Pausanias quoque compluribus locis Pirenes mentionem facit, atque uno ex iis cum alia tum originis fabulam affert: ὡς ἡ Πειρήνη γένοιτο ὑπὸ δακρύων ἐξ ἀνθρώπου πηγῇ, τὸν παῖδα ὀδυρομένη Κεγχρίαν ὑπὸ Ἀρτεμίδος ἀκούσης

¹⁾ Onestae nomen Latinum Honestus est, cf. Mommsen, Roem. Gesch. V p. 258; in lemmate A. P. IX 216 Corinthius appellatur, ut ab Oneste Byzantio A. P. VII 274 distinguatur.

²⁾ Hoc epigramma in serie litterarum ordine disposita, IX 215—312, exstat, quae ad anthologiam Philippi Thessalonicensis redit. Quod cum ita sit, ante Caligulae aetatem compositum est.

ἀποθανόντα (II 3,2). Nec vero de Pirenes origine a Pegaso allata quicquam profert. Contra Troezenium quendam fontem eodem modo atque Hippucrenen Heliconiam ortum esse alio loco (II 31, 12) de quo mox dicendum est, narrare non supersedet. Unde patet ne Pausaniam quidem Corinthi originem Pirenes a Pegaso factam comperisse. Iam vero artis quoddam opus quod magni momenti est, describit: κρῆναι δὲ πολλὰ μὲν ἀνὰ τὴν πόλιν πεποιήνται πᾶσαν . . . θεὰς δὲ μάλιστα ἀξία ἢ παρὰ τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀρτέμιδος καὶ οἱ Βελλεροφόντης ἔπεστι καὶ τὸ ὕδωρ οἱ δι' ὀπλῆς ῥεῖ τοῦ Πηγάσου (II 3, 5). Cuius monumenti imitationes in nummis Corinthiis reperiuntur, quorum artifices omnino saepissime artis opera expressisse constat¹⁾. Quibus in nummis Bellerophon Pegaso arrepto vectus hastam in Chimaeram quae ante eum est, conicit. Imitationes autem illas ad monumentum a Pausania depictum revocandas esse exemplis nonnullis confirmatur, in quibus aut Diana adversum Bellerophontem in saxo sedet²⁾, aut figurae operis in capite columnae positae sunt³⁾. Res vero gravissima est monumentum illud non supra Pirenen positum fuisse. Quam a Pausania non significari pro certo habendum est. Neque enim ἢ παρὰ τὸ ἄγαλμα τῆς Ἀρτέμιδος ab eo vocata, et monumentum supra erectum eo potius loco descriptum esset, quo ipsa de Pirene verba facit. Huic autem aliud potius opus, nymphae Pirenes simulacrum, impositum fuisse videtur⁴⁾.

Quibus rebus omnibus planum fieri mihi videtur neque in priore neque, quod conicias, in posteriore Corinthi urbe anno a. Chr. n. 46 restituta fabulam Pirenes a Pegaso productae notam fuisse. Ut autem solis a poetis traditur, ita ab iis ficta esse videtur. Atque in Pirenen pariter atque in Aganippen Castaliamque Hippucrenes fabulam translata esse videmus. Quod facile fieri potuit, cum e fabula multo

¹⁾ Imhoof-Gardner, Journ. of hell. stud. VI (1885) p. 59.

²⁾ Nummus Caracallae, Arch. Ztg. (1843) tab. IX 13 = Catal. of greek coins in Brit. Mus., Corinth, pl. 22, 2.

³⁾ Mionnet, descript. de Méd. antiques, II 189, 304; cf. Stephani, Compte-Rendu 1881 p. 32; Imhoof-Gardner, ibid. p. 62/63; p. 73; tab. C 31/32; Hitzig-Bluemner, Pausanias I p. 500, tab. II 43 sq.

⁴⁾ Imhoof-Gardner, ibid. p. 73.

vetustiore Pegasus ad illum Corinthium fontem domitus fuerit. At recentiorem fabulam Pirenes et Hippucrenes confusione ortam esse¹⁾ non concedendum est. Sed de industria fabula Boeotiae post Corinthum urbem restitutam in Pirenen translata est. Quamquam quid causae fuerit, erui nequit.

Neque tamen laus Hippucrenes fonte Corinthio quicquam deminuta est. Immo Pirenes a Pegaso factae post Dionem Chrysostomum nulla iam mentio fit. Quae cum ita sint, facile intellegitur in ea fabula quae nostra aetate de Pirenes origine exstat,²⁾ nullam Pegasi memoriam retineri.

Neque vetustioribus usquam locis fabulam recentiorem proferri nunc perspicuum est. Quod autem ipsis illis aetatis prioris testimoniis Pegasus ad Pirenen domitus esse fertur, fabulam Corinthi familiarem fuisse vidimus (p. 44; 52). Quae ut in fonte quodam collocaretur, haec certe causa fuit, quod nomen Pegasi cum voce πηγὴ cohaerere videbatur. Ut iam Hesiodus Pegasi nomen inde ductum esse dicit (Theog. 282/83). Nominum autem interpretationes ad fabulas gentium temporumque omnium permultum contulisse constat.

Neque vero concludere licet illum fontem qui Bellerophonte Pegaso vecto ornatus erat (p. 123 sq.), cum monumento imposito artius conexum fuisse, ut eum Pegasi ungula factum esse conicias. Etenim expectaretur, ut opus illud potius supra Pirenen erectum esset, quam cum Pegaso vinculo artiore coniunctam fuisse constat. Maxime autem illi opinioni contrarium est, quod in monumento a Pausania descripto omnino non illa fabula, sed Bellerophon cum Chimaera dimicans expressus erat. Neque enim cum hoc proelio origo fontis cuiusdam ullo modo cohaeret. Quare quod e Pegasi ungula aqua effluit, non in fabula quadam, sed in artificis ingenio positum est, qui varias fabulas temere confudit³⁾. Ceterum similia monumenta afferre potuerunt. Ut in insula Co simu-

¹⁾ Sic Vollmer ad Stat. Silv. II 7, 4, qui neglectis Persio et Dione Chrysostomo iam Strabonis loco de quo diximus, confusionem contineri iniuria contendit.

²⁾ Cf. B. Schmidt, Griech. Maerch. und Sagen, Vorrede p. 34.

³⁾ Cf. Curtius, Plastik der Hellenen, in Abhandlg. der Berliner Akademie 1876 p. 155; Arch. Ztg. XXXVII (1880) p. 19.

lacrum erat Chalconis, cuius e pede aqua effundebatur. Quod opus ab argutiis Lysippeae vel Eutycheidae artis non abhorrere Buecheler arbitratus est¹⁾.

Ea vero Corinthi restitutae monumenta quibus ipsa Pegasi Pirenesque fabula exptimitur, haud secus atque priora quae supra percensuimus (p. 47. sq.), equum alatum e fonte bibentem repraesentant. Velut in nummo Corinthio Lucii Veri Pegasus ante nympham Pirenen e fonte bibit, a tergo Acrocorinthus eminet²⁾. Idem autem in altero nummo Septimii Severi fictum est³⁾. Tertio in nummo eiusdem imperatoris Bellerophon Pegasus tenet bibentem e fonte qui ex infima Acrocorintho aede ornata profluit. Quod opus nescio an cum iis quae supra perlustravimus (p. 50), artius cohaereat.

Eadem vero etiam in monumentis reperiuntur quae Corintho ipsi non ascribenda esse videntur. Ut poculum argenteum anno 1830 in Gallia septentrionali inventum Pirenen repraesentat sedentem ad fontem qui ex infima Acrocorintho aede instructa effunditur, nympa manu sinistra calamum tenet, dextra pinnam Pegasi bibentis comprehendit⁴⁾. Cui operi simile esse videtur monumentum crustarium musei Neapolitani, ubi a parte sinistra Pegasus gramen carpit (?), a dextra nympa sedet, quam Pirenen esse pro certo habendum est. Sinistram autem urnae imponit, dextra calamum tenet, caput ad Pegasus vertit⁵⁾. Ac simile esse videtur opus cuius fragmentum Parenzi in turri campanili aedis cathedralis insertum est⁶⁾.

Pegasus bibens etiam in parte aversa complurium nummum Ponticorum occurrit, quorum in parte reversa Perseus, proavus regum Ponticorum, invenitur⁷⁾.

¹⁾ Rhein. Mus. XV (1860) p. 454 n.

²⁾ Millingen, Recueil de Monnaies II 21; Imhoof-Gardner l. c. pl. F 103.

³⁾ Ed. Catal of greek coins of British Mus., Corinth, XXI 16.

⁴⁾ Ed. Babelon, Le cabinet des Antiques à la Bibliothèque nationale t. 24; Schreiber, Culturhist. Bilder-Atl. t. 25, 1/2; Chabouillet, Catal. des camées de la Bibliothèque impériale nr. 2806.

⁵⁾ Descripsit Engelmann, Annali dell' Inst. XLVI (1874) p. 8/9.

⁶⁾ v. Schneider, Serta Harteliana (1896) p. 288.

⁷⁾ Head, H. N. p. 424 sq.

etiam in duobus operibus antea descriptis cognovimus. Atque incertum est, an tria illa monumenta ab eodem exemplo ducta sint.

Iam vero multo magis quam nympharum artio rem Pegasi et Musarum conexum exspectamus. Is tamen infimis antiquitatis temporibus atque rarissime invenitur. Sane inde ab aetate Alexandrina hic illic Musae Pegasides appellantur (cf. p. 95). Nec vero hoc testimonium artioris inter Pegasus Musasque conexus est.

Primus autem Sidonius Apollinaris (c. XXII 81/82) Pegasus in Musarum monte permanere tradidit. Etenim cum Apollo et Musae Baccho Boeotiam accedenti obviam irent,

*hic et crinisatas iungebat Pegasus alas,
portans doctiloquo facundum crure Crotonem¹).*

Atque etiam Nonnus putare videtur Pegasus, quem ipse quoque Baccho Boeotiam intrante in Helicone versatum esse dicit, perpetuo ibi morari (Dionys. XXXIV 6/7; cf. p. 112 sq.).

Et cum in monte illo permanere existimaretur, facile intellegitur, cur Pegasus ipse Musarum equus factus sit. Ut Ennodius (c. II 109 sq.) his verbis Musam invocat:

*exhibe cornipedem nunc Pegasea mihi,
qui ferat aligerum per gramina roscida corpus
nec teneras flectat vestigiis segetes,
sublimem, validum, formosum, passibus aptum:
qui si contingat, mox mihi Musa places²).*

Ubi alius equus ac Pegasus significatus esse non potest. Quocum convenit Musam appellari Pegaseam. Idem Ennodii locus ad nostratum commentum quo Pegasus poetarum equus est, omnium maxime accedit. Quamquam Ennodius Pegaso non eodem modo usus est quo poetae recentes

¹) *Crotonem* pro *Creontem* codicum U. de Wilamowitz optime coniecit. Vocem *crinisatas* hybridam atque ad Pegasus in Oceani fontibus natum referendum esse Forcellinius arbitratur; sed *κρίνη* vox alias numquam in Latinum transit neque causa erat, cum voces Latinae ut *fontigena* suppeterent. Iure igitur neque O. Weise neque Saalfeldius vocibus linguae Latinae hybridis inseruerunt. Atque equidem illos sequor qui *crinisatas alas* ex Pegasi crinibus natas esse interpretantur.

²) Cf. Verg. Aen. VII 808 sq., qui ipse Hom. Il. XX 226 sq. sequitur, qui versus multis imitationi fuerunt.

solent. Quod verbis: *qui ferat etc.* planum fit. Neque ullus alius locus testimonio est Pegasus pro poetarum equo habitum fuisse. Ea autem mente Ennodius Pegasus sibi exhiberi velit, ut omine quodam fausto Musam gratam sibi esse cognoscat. Atque etiam ab auctore aevi Carolingi Pegasus Musae tantum, non poetae equus appellatur. Calliope enim Sedulium consolatura haec dicit:

ast ego maestificum te noscens esse Maronem

aligero cursu visere te volui.

me nam Calliopen per nubes duxit aquosas

Pegasus hymnipotens Musogenumque chorus

(ad Hartgarium episcopum l. II c. VII 131 sq. = poet. Lat. aev. Carol. III p. 175 Traube).

Huius autem loci videtur esse de pictura parietaria Romana deperdita verba facere. Ubi pulcher iuvenis longo et vittato crine ornatus atque chlamyde indutus manu sinistra equum altum, manu dextra tibiam tenet, cuius caput clavicularis instructum est. Utraque autem a parte femina sedet. Atque altera manum sinistram in canistro ponit, altera crinem vittatum calamis ornata est. Hanc igitur nympham esse certum, illam verisimile est¹⁾. Atque ex altera interpretatione equus ille alatus animas mortuorum in caelum ducit, ex altera cum fabula Castoris et Pollucis cohaeret. Sed et illius et huius explicationis ansa firma deest. Atque ne ad Bellerophontem quidem monumentum illud referendum esse certum est. Equidem vero Pegasus cum Apolline coniunctum cognoscendum esse puto. Tibiae cantu e veterum sententia maxime equi commoventur (Aelian. de nat. anim. XII 44; Solin. XLV 12). Atque Admeti equi tibia Apollinis percussi pasci desierunt. Ut hic Statii locus testatur (Theb. VI 337/38):

de grege Castaliae stupuit qui sibila cannae

laetus et audito contempsit Apolline pasci.

Quamquam quae scholiasta affert: *de Pegasi grege, qui fontem Hippocrenen . . . produxit*, perperam dicta sunt. Atque desunt testimonia etiam Pegasus ipsius tibiae cantu

¹⁾ Ed. Bartoli-Bellori, Picturae antiquae II t. 9 = Engelm. nr. 27 = v. Prittw.-Gaffr. II 9.

commotum fuisse. Sed tamen omnino cantu permotus esse nonnullis locis dicitur. Ut apud Nonnum legimus Pegasus sonis Bacchantium percussus Hippucrenen produxisse (p. 112 sq.). Atque etiam hi versus Alcimi Aviti indicio sunt (poemat. l. VI p. 275 Peip. v. 11 sq.):

*non hic fallaci tinguetur barbitus unda,
Pegasus unde leves praevertens motibus auras
fingitur adsumpto pendens hinnisse volatu,
dum ferretur equi gravis ungula praepete pinna.
sed nec Pierio ducent hic cantica ludo,
quae sibi ter ternas mentitur fama sorores.
dat tibi germanum sed verax musica plectrum
et Christum resonans claudetur fistula Phoebos.*

Praeterea reputes Pegasus aetate posteriore auctorem Castaliae Apollinis sacrae existimatum esse. Atque vidimus item una Hippucrenes origine Pegaso attributa factum esse, ut cum Musis artius coniungeretur. Atque apud Sidonium Apollinarem Pegasus Phoebum comitatur (cf. p. 128). Quae cum ita sint, illa mea opinio verisimilis esse videtur. Nymphae autem e Pegasi coniunctione qua cum ad alios fontes tum ad Apollinis Castaliam refertur, facile intelleguntur.

Poetarum vero equum Pegasus a veteribus ductum fuisse iam supra negavimus. Maassius enim in errore versatur, si hoc quod recentioris potius aetatis proprium est, apud Propertium occurrere opinatur. Hos enim versus (II 10, 2/3):

*sed tempus lustrare aliis Helicon choreis
et campum Haemonio iam dare tempus equo*

ita interpretatur, ut poetam Graeco (Haemonio) Pegaso campum daturum esse putet¹⁾. Sed Propertium in v. 2 figura quadam trita usum esse in aperto est (cf. Ovid. Amor. III 15 18). Atque *Haemonius* appellatur equus ille, quia ut carmen heroum summum poesis genus, ita equi Thessalici omnium optimi existimabantur. Nec vero Pegasus cum Thessalia coniunctus est. Quod autem in sarcophago Lycio quem supra tractavimus (p. 50), Pegasus poetarum equum significare nonnulli arbitrati sunt, certo repellendum

¹⁾ Herm. XXXI (1896) p. 390.

est. Robertus enim confirmavit Bellerophontem manu sinistra non volumen sed flagellum tenere.

Poetarum equus hac demum aetate Pegasus factus est. Quam vim primum Boiardium quodam loco carminis quod Orlando Inamorato inscribitur, Pegaso subiecisse Lenzius dicit¹⁾. Talem tamen locum cum invenire non potuerim, is quem Lenzius sequitur, in errore versari videtur.

Quoniam vero de singulis fabulis diximus, quaeritur nunc, utrum Pegasus ab initio cum fontium origine coniunctus fuerit necne.

VII. De Pegaso a fontium origine initio alieno.

Ab Aganippes autem et Pirenes et Castaliae origine Pegasus primo alienum fuisse iam vidimus. Quare hic tantum Hippucrenes Heliconiae et Troezeniae ratio habenda est.

1. Ac primum quidem animadvertas nomine ipsorum fontium de quibus dicendum est, vocem κρήνη, non πηγή contineri. Quod exspectari debet, si Pegasus ab initio fontium illorum auctor existimatus esset. Deinde asserendum est ne unius quidem fontis nomen a Pegaso ductum esse. Ut sane fons a Mercurio excussus Ἐρμοῦ πτέρνα (Tzetz. ad Lycophr. v. 835), fons a Cadmo productus Κάδμου πούς vocatur („Plutarch.“ de fluv. II 1). Nomen autem Πηγάσις Hippucrenae Heliconiae a poetis inditum posteriore aetate a Pegaso ductum esse in aperto est. Neque *Pegaseum* Asiae stagnum (Plin. n. h. V 31) cum Pegaso cohaerere pro certo habendum est. Quamquam Guhlius similitudine nominis adductus aliter iudicavit²⁾. At Plinius de stagno, non de fonte (πηγή) dicit. Num vero ipsum stagnum a Pegaso, quem fontium auctorem putant, nominatum sit? Contra equini sunt fontes quibuscum Pegasus nihil cohaeret. Quorum in numero Aganippen referendam esse supra probavimus. Atque Ephesi fons fluebat cui nomen *Callippia* erat (Plin. n. h. V 115). Quamquam

¹⁾ Neuer teutscher Mercur (1796) II p. 285.

²⁾ Ephesiaca (1843) p. 84.

et hunc a Pegaso factum esse Guhlius sine causa putat. Ἴππορα quoque fons equinus est, a quo Pegasus abhorret (CIG III 5594). Atque in eodem genere nomen Hippucrenes ponendum est, in quo nihil est quod ipso de Pegaso cogitare cogat. Neque vereor, ne quis alia nomina ut Ἴππου ἄκρα, Ἴππου κόμη, Ἴππου μνήμα certum quendam equum respicere putet. Tum in hydriis duabus Musei archaeologici Florentini Πηγάδας ut nomen equi vulgaris occurrit. Ac Kretschmer rectissime dicit: *Dieser Name] ist offenbar von πηγός „fest, gedrungen, muskuloes“ abzuleiten und synonym mit dem mythischen Πήγασος, welcher sich dadurch als ein echter Pferdename erweist, der mit πηγή „Quelle“ nichts zu thun hat¹⁾*. Iam vero praeter fontes ab equis productos complures scaturigines ab aliis beluis factae sunt. Ut Namatianus aquas Taurinas prope Centumcellas fluentes tauri cornu elicitas esse tradit (de reditu suo I 258 sq.):

*auctorem pecudem fons Heliconis habet:
elicitas simili credamus origine lymphas,
Musarum ut latices ungula fodit equi.*

Atque apud Plataeas fons Βουκεράς erat. Bovem autem qui Polybum Argivum, conditorem Plataearum, ducebat, illic τῷ κέρατι πατάξαι τὴν γῆν καὶ κρήνην ἀναφανῆναι ferunt (Et. magn. s. v. Βουκεράς). Ubi unguulae loco cornu nominari facile intellegitur.

Nec vero neograecas eiusdem generis fabulas me invenire potuisse doleo. Fabula quae antiquis temporibus de Hippucrene ferebatur, in oblivionem adducta esse videtur. Hac enim aetate τὸ κρῦο πηγᾶδι nominatur²⁾.

Fabulae tamen Graecis illis persimiles de fontibus Germaniae haud paucis feruntur³⁾. Qui ut partim ab equo ita partim ab aliis bestiis, bove vel asino, producti esse dicuntur. Quoniam ipso nomine veterrimam et primam cuiusque fabulae formam significari omnes iure consentiunt, apparet et exstat primo ut beluis aliis,

¹⁾ Die griech. Vaseninschriften (1894) p. 210.

²⁾ Bursian, Geogr. von Griechenl. I p. 239.

³⁾ Congessit eas Weinholdus, Die Verehrung der Quellen in Deutschland (1898).

ita equis fontium origines adscriptas esse. Ex quo item intellegi potest equum singularem et proprio nomine praeditum non magis quam certum bovem vel asinum animis obversatum fuisse. Atque hic quoque Germanorum fabulae utiliter comparantur. Equo enim qui fontis cuiusdam auctor fertur, numquam certum nomen datum est. Quod enim semel equus Flavus (Falchert)¹⁾ et vicus Schimmelbach vocatur²⁾, etiam haec nomina maxime generalia sunt.

Atque etiam hoc animadvertendum est: Pegasus si ab initio cum Heliconia et Troezenia Hippucrene coniunctus atque ab hac nominatus esset, is intellegendus esset, cuius fontes fodere proprium esset. Iam nomen, non naturam, Fontini Romanorum conferas. Graecos vero illam vim Pegaso tribuisse negandum est. Hoc enim si ita esset, iure exspectari poterat, ut pro multis eiusdem generis fabulis ipse Pegasus saepius fontium auctor nominaretur. At praeter Pegasus non modo aliae bestiae, sed etiam Iupiter, Neptunus, Mercurius, Rhea, Hercules, Asopus, Chalcon, Cadmus alique fontes produxisse feruntur³⁾. Quibus rebus item comprobari videtur Pegasus primo cum fontibus non conexus fuisse.

Neque ab uno veterum auctore prima Pegasi natura ad fontium originem referri dicitur. Neque in vetustissimis de Gorgone et Bellerophonte fabulis quicquam invenitur quod Pegasus fontium auctorem significet. Neque enim quod Pegasus Neptuni filius fertur, per se ullo indicio est. At fortasse fieri potuit, ut in Gorgonis Bellerophontisque fabulis Pegasi cum fontibus conexus obliteraretur. Hoc tamen minime verisimile est, cum ipsum Pegasi nomen illius conjunctionis memoriam retinere debuerit. Immo multo facilius

¹⁾ Weinhold, l. c. p. 14.

²⁾ Jaehns, Ross und Reiter (1872) I p. 214, qui p. 199 sq. quadraginta fere fontium rivorumque nomina conegessit, quae ab equi significationibus ducta sunt.

³⁾ Robert, Arch. Maerch. (1886) p. 198 sq. et Marx, Interpretat. hexas, Ind. lect. Rostoch. 1888/89 p. 8, quaedam artis opera ad fontium originem referunt, quod Furtwaengler, Arch. Jahrb. VI (1891) p. 113 sq. et Harrison, Journ. of hellen. stud. XIX (1899) p. 232 non sine causa repellere videntur.

Pegasi nomen iam ab Hesiodo e fonte repetitum illum conexum afferre poterat. Atque eo facilius fieri potuit, cum Gorgonis Bellerophontisque fabula temporibus satis antiquis iam non perspiceretur. Contra multo difficilius intellegitur Pegasum qui nomine ad fontes pertinere videbatur, postea cum Gorgone et cum Bellerophonte conexum esse.

Quae cum ita sint, apparet Pegasum primo cum fontibus omnino non coniunctum fuisse.

Qua quidem re confirmatur, quod ipsis veterrimis de Hippucrene testimoniis Pegasum non fontis auctorem nominatum esse vidimus. Atque etiam Troezeniorum Hippucrenen postea demum cum Pegaso coniunctam esse nunc planum fit. Notissimo autem Pegasi cum Hippucrene Heliconia conexu effectum esse potest, ut Troezenii etiam suam Hippucrenen cum Pegaso coniungerent, qui per se iis familiaris erat (cf. p. 126). Quamquam facile etiam Troezenii ipsi illum conexum minime remotum excogitare potuerunt.

2. Quoniam Pegasus primo ad fontes omnino non pertinuit, sine dubio opinio illorum repellenda est, qui illo conexu adducti Pegasi naturam ad tempestatem rettulerunt.

Sed tamen nonnulla addantur. Ii enim qui Pegasi cum fontibus coniunctionem ad tonitrum vel ad fulmen vel ad nubem vel ad imbrem referunt, Graecos fontium originem utique cum tempestate coniunxisse ponunt. Hoc tamen minime fecerunt. Quid autem Graeci de fontium origine iudicaverint, consuetudine sermonis docemur. Quae quidem ea est, ut ictus quibus mire fontes fiebant, terram vel montem vel saxum percussisse dicantur. Quodsi Iupiter fulminis iactu fontem producit (schol. B ad Hom. Il. XX 74), iam aliquis originem ad tempestatem spectare dixerit. Attamen Iupiter nihilominus fontem e solo elicit: ῥίψας κεραιὸν ἀνέδωκε¹⁾ μικρὰν λιβάδα. Atque idem in Neptuni tridentem cadit. Quem non ad fulmen sed ad piscatorum iaculum spectare nunc iure plerique putant. Quam ob rem etiam Nereo et Scyllae optime tribuitur²⁾. Quodsi Neptunus

¹⁾ Rappius in Rosch. M. L. s. v. Bellerophon I p. 759 errore ἀπέδωκε scripsit.

²⁾ Waser, Scylla und Charybdis (1894) p. 81.

tridente fontem excutit, nunquam nubes sed terram vel saxum ferit¹⁾.

Atque idem dicendum est de Rheae baculo: πλῆξεν ὄρος σκήπτρῳ (Callim. in Iov. 31), de Atalantae hasta (Paus. III 24, 2), de Mercurii pede: ἐλάκτισε τὴν γῆν (Tzetz. ad Lycophr. v. 835), et quae eiusdem generis sunt.

At montes vel saxa fabularum illarum non ad terram verum ad caelum pertinere putant. Sed tamen mons vel saxum in his fabulis satis raro, multo saepius ipsa terra nominatur. Atque illic plane de fontibus agitur ipso e saxo vel e monte excussis. Praeterea argumenta omnino nondum allata sunt nubes a Graecis montes vel saxa nominatas fuisse. Quod Gilbertus quidem temere ponit²⁾. Ac ne Schwartzius quidem argumenta attulit; qui terram illius fabularum generis explicationi esse sine causa negat, *wohl aber der Himmel, von dem ueberhaupt die meisten mythischen Vorstellungen stammen*³⁾. Neque Roscher testimonia opinionis illius congerere conatus reperire potuit. Ac tantum fieri posse putat, ut Graeci montes ac saxa primo nubes caelestes intellexerint⁴⁾. Quam opinionem ut Graecis substituerent, viri docti maxime simili Indorum fabula adducti sunt. Fabula enim ex qua Indra caede Vr̥trae aquas e montibus producit⁵⁾, ad tempestatis naturam referenda esse videbatur, ut montes pro nubibus, aquae pro imbri haberentur. At haec interpretatio nunc iure improbat. Immo viri docti iudicant aquas illas flumina vallis esse quam Indus percurrit, montes illos iuga quibus India septentrionalis cingitur⁶⁾. Quare similis Indorum fabula parum fulcro est.

Compluribus autem locis alibi quoque laudatis imprimis perspicue ac dilucide dicitur, quid Graecis de fontium origine

¹⁾ Cf. Preller-Robert, Griech. Mythol. I p. 590.

²⁾ Goetterlehre (1898) p. 173 n. 3.

³⁾ Zeitschr. fuer Volkskunde II (1892) p. 72.

⁴⁾ Hermes, der Windgott (1878) p. 20/21.

⁵⁾ Cf. Roscher, Gorg. u. Verw. p. 47; v. Andrian, der Hoehenkultus (1891) p. 1 sq.

⁶⁾ Oldenberg, Relig. des Veda (1894) p. 140 sq.; cf. Gruppe in Burs. Jahresber. (1899) III p. 144; Hardy, Indisch. Religionsgesch. p. 38/39; v. Wilamowitz, Herakles² I Vorrede p. 13.

visum sit. Ut Strabo dicit Pegasum Hippucrenen ἀναβαλεῖν; Dio Chrysostomus eum fontem Corinthium ἀνεῖναι; scholiasta ad Hes. Theog. v. 2 Hippucrenen ab eo ἀναδοθῆναι; ἀνεῖναι ceterum etiam ab Euripide (Bacch. 705), ἀναδοθῆναι a Luciano (dial. mar. VI) de fontibus usurpatur. Qualis sermonis consuetudo documento est Graecis fontium aquam secus atque imbrem non desuper sed e terra venire visam esse. Atque terra semel atque iterum fontem quodammodo misisse dicitur. Ut apud Pausaniam legimus: Πηγᾶσιν τὸ ὕδωρ ἀνεῖναι τὴν γῆν θυγόντι τοῦ ἐδάφους τῆ ὀπλῆ; vel τὸν Βελλεροφόντου ποιῆσαι ἔπρον ἐπιψαύσαντα ὀπλῆ τῆς γῆς (IX 31, 3); apud Hesychium: Πήγασος] ἔκρουσε τὴν γῆν τῆ ὀπλῆ, ἣ δὲ τὴν πηγὴν ἀνῆκεν; apud Libanium κρήνην ἐκδοθῆναι (Antiochic. I p. 302, 16 Reisk.). Qui loci ipsi quoque docent Graecorum e sententia fontes non cum tempestate cohaesisse sed e terra emersisse. Quocum conveniunt eadem voces de herbis e terra prodeuntibus adhibitae: ἀναδιδόναι (Thuc. III 58; Xenoph. Mem. IV 3, 5; Plat. Crit. 113 e. etc.), ἀνίεναί (Hom. in Cer. 332.). Nonne etiam in aperto est incolas regionum calidiorum ipsos eos fontes plurimi aestimare, qui Iovi Pluvio adeo non debebantur, ut etiam summa aestate tempestate negata recreationis haustus effunderent? Ceterum etiam apud physicos multos eadem de fontibus opinio occurrit ¹⁾.

Denique si fontium origo e Graecorum sententia cum tempestate cohaereret, non modo Iupiter et Neptunus, sed etiam Mercurius, Rhea. Asopus et ceteri qui fontes produxissent dicuntur, ad tempestatem referendi essent. Quod vereor ut cuiquam placeat.

Ceterum Romani de fontium ortu idem ac Graeci senserunt. Quod et consuetudine sermonis et aliis indiciiis, si necesse esset, planum fieri posset.

Atque haec quidem erant quae de singulis fabulis dicerem. Nunc de pennis Pegaso tributis disserendum est.

¹⁾ Cf. Oder, Philol. N. S. VII (1895) p. 229 sq.

D.

De alis Pegaso tributis.

1. Alae utrum ab initio Pegasi propriae fuerint necne, sententiae in diversas partes eunt. Ac primum quidem, si Hesiodi locum (Theog 284 sq.) accuratius intuemur:

χὼ μὲν ἀποπτάμενος προλιπὼν χθόνα μητέρα μήλων
ἔκετ' ἐς ἀθανάτους,

quid ἀποπτάμενος significet, eruere conemur. Ac Stephanii quidem sententia hac una voce nondum firmari potest Pegasus alitem fuisse, quod etiam in cursu equorum vulgarium atque iam ab Homero πέτεσθαι dictum sit¹⁾ Qua translationis figura magnam equorum celeritatem significari Stephanus ipse recte dicit. Neque tamen illo Hesiodi loco voci ἀποπτάμενος velocitatis notionem subiectam esse certum est. Modo ne verba sequentia προλιπὼν χθόνα et ἔκετ' ἐς ἀθανάτους neglegantur. Quibus cum dilucide Pegasus ἀποπτάμενος supra terram se levasse dicatur, nullus nisi volandi motus intellegi potest. Ut etiam Langbehnus recte iudicavit²⁾. Cur autem Knollius contendat secundum illum Hesiodi locum volatum Pegasi posterioris aetatis esse, perspicere non possum³⁾.

Tum Pegasus alatus in vetustissimis Corinthi nummis occurrit qui saeculo VII exeunti vel VI ineunti tribuendi sunt⁴⁾. Atque iisdem fere temporibus nota quaedam metopa templi Selinuntii C facta est (cf. p. 15), ubi item pennis instructus invenitur. Postea Pindarus eum alatum appellat (Ol. XIII 86; I VI (VII) 44). Atque usque ad infima antiquitatis tempora et in litterarum et in artis monumentis semper ei alae dantur. Omnia testimonia si enumerare vellem, pleraque et litterarum et artis monumenta afferenda

¹⁾ Comptes-Rendus (1864) p. 23; p. 32.

²⁾ Fluegelgestalten in der aeltest. griech. Kunst (1881) p. 11.

³⁾ Stud. zur aeltest. griech. Kunst (1893) p. 44 n. 3.

⁴⁾ Head, H. N. p. 334/35.

essent, quae in hoc opusculo iam tractata vel postea tractanda sunt¹⁾.

Alae autem umeris additae esse solent. Quamquam ab artificibus Etruscis quos pinnarum ornamento maxime fuisse constat, etiam pedes Pegasi haud raro alis instructi sunt²⁾.

Contra tantum numerum monumentorum et litterarum et artis, in quibus Pegasus alatus occurrit, duo stant artis opera in quibus pennis caret: Melia illa anaglypha quae supra accuratius tractavimus (cf. p. 19 sq). Quae revera unum testimonium efficiunt, cum artissime cohaereant. Nec vero scarabaeum Musei Petropolitani neglegentissime sculptum in quo ipso Pegasus alis caret, ullius momenti esse in aperto est³⁾. Iam cum alas a Graecis numinibus primo alienas fuisse opinio vulgata esset, ex uno illo testimonio nescio quomodo collectum est Pegasus primo alis caruisse⁴⁾. At cetera innumera monumenta nihil valere et in uno illo testimonio minime veterrimo cardinem rei versari absurdum est. Immo colligere licet in ectypis Meliis alas casu deesse. Quamquam qui factum sit, pro certo dici nequit. Nam quod Engelmannus putat alas fictiles facere difficiliter fuisse⁵⁾, id minus probabile videtur.

Quamquam aliquis dixerit in communi litterarum et monumentorum consensu tamen Pegaso alas postea tribui potuisse. Vetustiores enim artifices Graecos ornamentum alarum orientis proprium valde adamasse constat. Quo facto multis equis pinnae addebant, sive ut deorum equos a vulgaribus segregarent, sive ut summam velocitatem significarent⁶⁾.

Hic tamen pinnarum usus neque constat et aetate posteriore evanescit. Pegasi vero et in litterarum et in artis monumentis ab antiquissimis usque ad infima tempora alae propriae sunt. Quod maxime obstat, ne quis putet ab

¹⁾ Multos locos Stephanius cumulavit, *Compte-Rendu* (1864) p. 32 n. 4.

²⁾ Cf. Stephani *ibid.*

³⁾ Stephani, *Compte-Rendu*, (1881) p. 14; p. 28.

⁴⁾ Stephani, *C.-R.* (1864) p. 31/32; Knoll l. c. p. 44.

⁵⁾ *Annali dell' Inst.* 46 p. 18; [cf. nunc *Athen. Mittlg.* 26 p. 54.]

⁶⁾ Knoll l. c. p. 45; Furtwaengler, *Gemmen II* p. 32 ad VII 1.

orientis equo alite pinnas in Pegasus translatas esse. Neque aliter explicari potest, nisi Pegasi alas ab initio proprias fuisse ponimus.

Atque etiam alia ratione planum fit pinnas in Pegasus non ab orientis demum ornamento translatas esse. Ales equus in operibus artis quae Mycenaea nominatur, deest. Iniuria enim R. Delbrueck gemmam quandam, in qua equus alatus sculptus est, Mycenaeam nominat¹⁾. Immo gemma Melia est, quam cum aliis in sepulcris VII—V saeculi inventam esse Duemmler qui eam edidit, ipse dicit²⁾. Neque magis in artis monumentis quae geometrica nominantur, equus alatus invenitur. Ubi omnino formae orientis desunt³⁾. Quod cum ita sit, equus ales ne in iis quidem vasis geometricis occurrit, quae a dipylo Atheniensi nominantur. Quamquam A. Brueckner et E. Pernice figuram alatum talis cuiusdam vasis Centaurum pinnis instructum esse opinantur⁴⁾. Haec tamen opinio ex iis quae antea exposuimus, refutatur. Praeterea si ita esset, iure exspectaretur, ut equus, quem ipsum artifices operum illorum maxime adamasse constat, etiam alibi pennis praeditus inveniretur. Nec vero ut aliae figurae alatae ita equus pennatus prius occurrit, quam ars orientis Graecis artificibus maximi momenti fuerit. Ac primum quidem in Meliis similibusque gemmis et in vasis Ioniorum Asiae artificum fictus est⁵⁾. Qua cum re convenit iam vetustissimos equos alatos qui in Graecis monumentisveniuntur, curvis pennis instructos esse. Quae alarum forma VII demum saeculo in Graecis operibus existere coepit⁶⁾. Hesiodi autem Theogoniam ante VII saeculum compositam esse pro certo dici potest. Graeci igitur iam antequam artem orientis imitarentur, Pegasus alis praeditum finxerunt. Quare apparet eas non ab orientis ornamento demum in Pegasus translatas esse.

¹⁾ Beitræge zur Kenntnis der Linienperspective in der griech. Kunst (1899) p. 16. D. monumentum vas esse per errorem dicit.

²⁾ Athen. Mittlg. XI (1886) t. 6, 1; p. 170.

³⁾ Furtwaengler, Gemmen III p. 57.

⁴⁾ Athen. Mittlg. XVIII (1893) p. 114.

⁵⁾ Furtwaengler, l. c. III p. 71.

⁶⁾ Furtwaengler, l. c. p. III p. 72.

Cui rei minime contrarium est, quod Graecos artifices ornamento orientis impulsos Pegasus expressisse verisimile est.¹⁾ Neque aliud quicquam Perrotius in mente habuisse videtur, cum equum alatum Assyriis in operibus fictum nominat „*premier modèle du Pégase des Grecs*“ vel „*le Pégase des Grecs*“²⁾.

Cave vero ne Graecos ipsius Assyriae ornamentum imitatos esse putes. Quod curva alarum forma reicitur quae ab Assyriorum operibus omnino abhorret³⁾. Immo Graeci equum alatum ad exemplar artis Phoeniciae finxerunt.

2. Quoniam ornamentum equi alitis et Pegasus eadem forma utuntur, diversa significatio eo acrius in interpretatione monumentorum secernenda est. Sine dubio autem Stephanius a iusta interpretandi ratione multum abest, si haec profert: *dass sie* (scil. die Exegese von Kunstwerken) *nicht nur in jenen Kunstdarstellungen, welche ein einzelnes Fluegelpferd in Verbindung mit der Medusa oder mit einem mehr oder weniger deutlich als Bellerophon charakterisierten Juengling vorfuehren, Pegasus vorauszusetzen hat, sondern in der Regel auch in den ueberaus zahlreichen Faellen, in denen ein einzelnes Fluegelpferd allein, ohne irgend eine Begleitung in andern Combinationen auftritt, selbst dann, wenn dies Fluegelpferd in ornamentaler Weise zweimal oder noch oeftter wiederholt ist*⁴⁾. Quod si quis probaret, omnes fere equi alites pro Pegaso habendi essent. Quodsi a Platone (Phaedr. 229 D.), Cicero (pro Quinct. 25, 80), Pomponio Mela (III 9, 2), Plinio (h. n. VIII 72; X 136), Solino (XXX 29) aliisque Pegasus pluraliter dicitur, sane id indicio est omnes equos alites translate a notissimo equo pennato nominari potuisse (cf. Petron. 36). Nec vero ideo ceteri equi alati idem ac Pegasus valent. Pegasus autem ac ceteros alites equos et pares esse et diversos hoc Luciani loco optime docemur: *δειξασά τι ὄχημα ὑποπτέρων ἵππων τινῶν τῷ Πηγάσῳ ζευκτόων* (sommn. 15). Ubi deae equi forma cum Pegaso congruere dicuntur atque

¹⁾ Ohnefalsch-Richter, Cypros p. 257 n.

²⁾ Journ. des Savants (1885) p. 283; Histoire de l'art III p. 705.

³⁾ Furtwaengler, l. c. III p. 72.

⁴⁾ C.-R. (1864) p. 33/34.

ita Pegasi nominari poterant. Rursus autem a Pegaso distincte separantur.

Atque ne ex iis quidem monumentis quae hoc loco tractanda sunt, colligere licet veteres plures Pegasos fabulosos finxisse. Ansa hydriae aeneae Locris repertae infima in parte alato Gorgonis capite ornata est, cui ab utraque parte brachium et anterior equi alis carentis pars, brachio illo nixa, apposita sunt¹⁾. Praeterea in fragmento vasis Clusii reperto imago Medusae invenitur, cuius in parte inferiore equorum alis carentium duorum partes anteriores altera alteri adversa modo insignium se erigunt²⁾. Denique circa ventrem vasis Etrusci ex argilla nigra facti et anaglyphis ornati (vaso di bucchero) Gorgonis caput ab utroque latere sphinge cinctum, infra quod partes anteriores duorum alitum equorum more insignium se erigunt, quater repetitum est; praeterea etiam in ansa infra caput Gorgoneum alites duo equi eodem modo surgunt³⁾.

Atque huius quidem vasis equos alites ad Pegasus referendos esse in aperto est. Quibus cum equi alis carentes aliorum operum duorum plane respondeant, certo et ipsi ad Pegasus revocandi sunt. Quod W. Furtwaengler et Stephanus recte intellexerunt⁴⁾, A. Furtwaengler iniuria in dubium vocat⁵⁾. Quamquam in monumentis illis duplex Pegasus occurrit. At equos illos non ad certum fabulae momentum spectare, sed magis ornamento esse vidimus. Quae res etiam inde elucet, quod equi operum priorum alis carent. Ratione enim fabulae ipsius neglecta pennae ad extremum omnino omitti poterant. Perperam igitur W. Furtwaengler, Wieseler, Stephanus ll. ll. de ortu duplicis Pegasi cogitandum esse putant. Immo Pegasus solius proportionis causa duplex fictus est.

Ceteros igitur equos alites minime idem ac Pegasus valere ad monumentorum interpretationem maxime interest

¹⁾ Ed. Mus. Borbon. III 62; Mueller-Wieseler II 72, 900.

²⁾ Ed. Micali, Storia t. 102, 8.

³⁾ Ed. Annal dell' Inst. LVI (1884) t. D.

⁴⁾ Die Idee des Todes (1855) p. 131; C.-R. (1864) p. 33.

⁵⁾ In Rosch. M. L. s. v. Gorgo I 1712.

neque neglegi debet. Neque ales equus Pegasus intellegendus est, nisi certa fabulae indicia patrocinantur.

Ut Engelmannum speculi cuiusdam Etrusci equum alitem sine ulla causa ad Pegasus retulisse supra vidimus (cf. p. 73). Et Stephanius opinatus est duos equos alites anuli aurei Etrusci, qui nudum iuvenem deiecerunt, Pegasus significare. Quam interpretationem postea ipse revocavit¹⁾.

Praetermissis igitur talibus monumentis ea accuratius tractemus in quibus iure in dubium vocatur, utrum Pegasus an omnino equus ales intellegendus sit.

Ac primum quidem de iis monumentis agatur in quibus Neptunus iuxta equum alatum stat²⁾. Cum Neptunus pater Pegasi feratur, putaverit quispiam equum alatum illum Gorgonis stirpem esse. Nec vero exstat fabula in qua Neptunus Pegaso usus sit. Praeterea multo saepius equus alis carens prope Neptunum stat³⁾. Vel Neptunus equo pinnis carente vehitur. Quod cum in aliis monumentis tum in nonnullis tabellis fictilibus Corinthiis invenitur⁴⁾. Quodsi Neptunus ipse Pegaso usus esset, alatus Gorgonis stirps ipsis in his tabellis Corinthiis exspectaretur. Ac quod Neptunum curru vectum attinet, equi iuncti modo alis carent, modo praediti sunt⁵⁾. Nihilo tamen setius idem valent. Quodsi Neptunus prope equum alatum modo, modo alis carentem stat, idem iudicandum esse videtur.

Iam vero etiam duo equi alites galeae Minervae Parthenicae a Phidia impositi ad Pegasus relati sunt. Quod si verum esset, etiam equos permultarum operis illius imitationum pro Pegaso habendos esse appareret. Sed tamen etiam in aliis simulacris Atticis Minerva cum Pegaso coniuncta occurrit. Ut in vasis quae victoribus Panathenaicis dari solebant, Minervae clipeus haud raro equo alite ornatus est. Qui sine dubio et ipse Pegasus esset.

¹⁾ C.-R. (1864) p. 33; C.-R. (1881) p. 22.

²⁾ E. g. Heydemann, Catal. der Neapler Vasensammlg. nr. 690 = Overbeck, Kunstmythol. II p. 383—86, 17.

³⁾ Cf. de Ridder, Bull. de corresp. hellén. XXI (1898) p. 231.

⁴⁾ de Ridder, ibidem.

⁵⁾ de Ridder, ibidem.

Equos autem pennatos illos Pegasum esse putant, quod in fabula Corinthia Minerva Pegasum frenasse dicitur. At tamen certo redarguere licet Corinthiorum fabula effectum esse, ut in tot monumentis Atticis dea Atheniensium cum Pegaso coneceteretur. Optimo igitur iure de Ridder¹⁾ et Fuchsius²⁾ hoc reppulerunt. Quamquam ille nihilominus Pegasum agnoscit. Atticam autem Gorgonis fabulam explanationi esse putat, cuius quidem caput Minervam in pectore ferre constat. At supra vidimus ab ipsa Attica de Gorgone fabula Pegasum alienum esse (cf. p. 25). Quare ne haec quidem sententia probanda est. Iam vero etiam alia argumenta repugnant, quominus alites equos illos pro Pegaso habeamus. Etenim etiam aliarum urbium in nummis Minervae galea, quamquam minus saepe, equis alatis ornata est³⁾. Qui vix omnes Phidiae monumentum imitantur. Nonne igitur etiam ad nummos aliarum urbium Corinthiam fabulam valuisse ponendum esset? Quod minime verisimile est. Praeterea equis alatis non solum Minervae sed etiam aliorum deorum et hominum galeae clipeaque ornata sunt, qui nihil cum Pegaso cohaerent⁴⁾. Atqui hos equos pennatos idem significare quod ii quibus Minervae arma praedita sunt, in promptu est. Quare ne Minervae quidem equos alites ad Pegasum referendos esse colligere licet. Iam vero nec sphinx nec gryphi neque aliae bestiae Minervae in galea positae cum ulla huius fabula cohaerent. Atque equorum alitum loco nonnumquam gryphi ab utroque latere sphingis inveniuntur, ut in Minerva Hopensi quam Furtwaengler ad aeneum Phidiae opus redire putat, atque in simili simulacro Dresdensi gypso expresso, cuius exemplum ubi sit ignoratur⁵⁾.

Vera autem equorum illorum significatio inde eluceat, quod non modo alati, sed etiam vulgares equi saepissime in

¹⁾ l. l. p. 227.

²⁾ De ratione, quam veteres artifices in clipeis adhibuerint (1852) p. 33/34.

³⁾ Stephani, C.-R. (1864) p. 38.

⁴⁾ Fuchs, l. c. p. 30 sq.; Stephani C.-R. (1864) p. 40/41; de Ridder, l. c. p. 227; n. 3

⁵⁾ Furtwaengler, Meisterwerke p. 106 sq., fig. 17, 18; t. IV A.

armis occurrunt. Atque etiam in simulacris Minervae inveniuntur¹⁾. Atqui etiam aliae imagines, ut aper et delphinus, modo pennatae, modo vulgares promiscue in clipeis apparent. Quare ne equorum quidem alitum et vulgarium qui in armis occurrunt, significationis discrimen ponendum est.

Qui vero factum sit, ut galeae et clipea equis ornata fuerint, facile elucet. Atque Minervae armis impositi equi eo facilius intelleguntur, quoniam Minerva Athenis cum equo ac bello artissime cohaerere putabatur. Neque magis mirum est equos in eius simulacris fictos saepissime alatos esse. Iam enim supra diximus deorum equos ut a vulgaribus seiungerentur, pennis instructos esse solere (cf. p. 138).

Quamquam Pegasus re vera nonnunquam in clipeis occurrit. Ut Euripides in Achillis clipeo cum alia δειμάτα tum Chimaerae pugnam fictam fuisse dicit (Electr. 472 sq.:

περιπλεύρω
δὲ κῦται πύρπνοος ἔσπευ-
δε δρόμῳ λέαινα χαλαῖς
Πειρηναῖον ὀρῶσα πῶλον.

Praeterea in gemma Italica clipeus Romae Bellerophonte Pegaso insidenti ornatus est²⁾. Nec vero haec opera quicquam probant etiam in illis Minervae simulacris Pegasus intellegendum esse. Immo in his equum alitem pro Pegaso habere claris indiciis cogimur. Qualia in Minervae simulacris omnino desunt. Cum Pegaso autem in clipeis ficto equae Glauci comparari possunt, quae eidem usui fuisse dicuntur³⁾.

Horum praeterea operum equos pennatos ad Pegasus referendos esse nonnulli viri docti arbitrati sunt. Atque alterum speculi pes est, VI saeculo ineunti tribuendus⁴⁾, qui in museo Archaeologico Vratislaviensi servatur⁵⁾. Pes autem ille e feminae figura constat, qualis in vetustioribus monumentis haud raro occurrit. Atque supra caput eius partes

¹⁾ Fuchs, l. c. p. 32; de Ridder p. 227.

²⁾ Furtwaengler, Gemmen t. XXV 34.

³⁾ Fuchs, l. c. p. 20.

⁴⁾ Dumont-Chaplain, Céramiques II p. 252, 30.

⁵⁾ Ed. O. Rossbach, Griech. Antiken d. Arch. Mus. in Breslau (1889) t. II 1; p. 36 sq.

anteriores inversae duorum alitum equorum orbem speculī iam non servatum fulciebant. Alterum autem opus et ipsum est pes speculi Musei Britannici¹⁾, quod aetate illo inferius circiter annum a. Chr. n. 450 factum esse videtur. Ubi femina illi similis, quae tamen antiquitatem minus sapit, manu dextra columbam tenens in basi stat quae a duobus equis alatis portatur. Ac Rossbachius tantum equis pennatis adductus feminam speculi Vratislaviensis pro Minerva habet. Quod ex equis alatis minime colligi posse ante comprobavimus. Itaque iure Dumont-Chaplain et de Ridder Rossbachium non secuti sunt, sed figuram illam Venerem esse dixerunt. Hanc autem quae ad specula omnium maxime apta est, etiam Rossbachius tum agnoscit, ubi figura columbam vel malum tenet²⁾. Quoniam autem mulier speculi Britannici columbam fert, etiam e Rossbachii sententia Venus agnoscenda est. Unde item apparet iniuria solis ex equis illis alitibus Minervam cognosci. Nihilo tamen setius de Ridder existimat equos illos pennatos ad Pegasus referendos esse, nummis quibusdam Corinthiis nisus quorum altera in parte Venus, altera Pegasus occurrit, quin etiam specula illa ab artifice Corinthio facta esse conicit. Attamen Venerem et Pegasus artius cohaerere e nummis illis minime colligitur. Quominus autem Pegasus in illis speculis agnoscas, illud sane parum repugnat, quod bini alites equi ficti sunt, in fabula autem unus Pegasus exstat. Nihilominus id indicio est equis illis alitibus magis ornamenti vim tributam esse. Praeterea in speculis aequae atque in galea Minervae Pegasi loco sphinges impositae sunt, quae cum Venere non cohaerent. Quod documento est ne equos quidem illos alites fabulae figuram sed potius ornamentum esse. Iis autem equis alitibus pares sunt, quibus collaria vel inaures vel vestimenta ornata sunt³⁾. Ut vestes mulierum duarum in vase illo celeberrimo quod a François nominatur, equis pinnatis praeditae sunt. Quos ad Pegasus referri nihil indicio est. Immo quod et plures equi et aliae figurae pennatae occurrunt, certo obstat.

¹⁾ Ed. de Ridder, Bull. de corresp. hell. XXI (1898) t. I p. 201 sq.

²⁾ l. c. p. 39.

³⁾ Stephani, C. R. (1864) p. 42 n. 5; C. R. (1878/79) p. 110.

Denique alatum equum qui homines in deorum numerum referendos tollit, Pegasum intellegendum esse nonnulli viri docti putant¹⁾. Quod quidem in compluribus monumentis aetatis posterioris occurrit, quorum gemma ectypa „Germanici“ consecratione ornata notissima est²⁾. Nec vero ipsa de Pegaso fabula quicquam continet unde cogitatio illa oriri potuerit. Quod enim Pegasus alato dorso Bellerophontem ad caelum sustulisse fertur, potius contrarium fuit. Neque enim Bellerophon deorum sedem assecutus sed misere deiectus est. Praeterea unius equi alitis loco quadriga ab equis pinnatis vecta occurrit, ubi de Pegaso omnino cogitari non potest.

Ceterum ne in Arsinoes quidem equo alite qui Berenices caesariem ad Venerem portasse dicitur (Catull. LXVI 52 sq.), Pegasum agnoscendum esse iure nunc omnes consentiunt. Ipsa enim Catulli verba repugnant³⁾.

3. Iam vero alis avibus velocitate par Pegasus vulgaribus equis omnibus praestabat. Atque mira eius celeritas etiam in proverbii consuetudinem venit. Cui rei hi quidem loci documento sunt: Alexidis = Athen. VI 244 e:

ἐμοὶ παρασιτεῖν κρεῖττον ἢν τῷ Πηγάσῳ

[ἦ] τοῖς Βορεάδαϊς ἢ [τι] θᾶττον ὅτι τούτων τρέχει;

Ciceronis pro Quinctio 25, 80 *o hominem fortunatum, qui eiusmodi nuntios seu potius Pegasos habeat; Catulli LV 24 non si Pegaseo ferar volatu;*

Propertii II 30, 3

non si Pegaseo vcteris in aere dorso;

Ovidii ex Ponto IV 7, 52

ante citos quantum Pegasus ibat equos;

Senecae Troad. 385

aetas Pegaseo corripiet gradu;

Apulei Metam. VI 443 *at paullo ante pinnatam Pegasi vincebas celeritatem;* Pacati Drepanii Paneg. Theodosii 39,

¹⁾ Krahnert l. c. p. 462; Stephani C.-R. (1864) p. 36 n. 2.

²⁾ Optime deformata est a Furtwaenglero, Gemmen I t. 60; cf. II p. 268 sq.

³⁾ Nuper hac de re dixit de Wilamowitz, Reden und Vortraege (1901) p. 202.

iure contenderim equites tuos Pegasis . . . vectos ac suspensos fuisse; Apostolii Prov. XVIII 24 χελώνην Πηγάσω κρίνεις; *ibid.* XIV 28 Πηγάσου ταχύτερος¹⁾).

Vulgaribus autem equis Pegasi nomen nonnunquam datum est, ut mira quasi velocitate praediti dicantur. Ac facile intellegitur, cur solis equis circensibus tributum sit. Qualis in carmine Anthologiae Palatinae sine auctore tradito (IX 21) hoc modo queritur:

σοί, πατρὶ Θεσσαλίῃ πωλοτρέφε, μέμψιν ἀνάπτω
 Πήγασος, ὡς ἀδίκου τέρματος ἦντίασα.
 δς Πυθαῖ κῆν Ἴσθμῷ ἐκώμασα κῆπι Νέμειον
 Ζάνα καὶ Ἀρκαδικούς ἤλυθον ἀκρεμόνας.
 νῦν δὲ βάρος πέτρης Νισυρίδος ἔγκυκλον ἔλκω
 λεπτύνων Δηοῦς καρπὸν ἀπ' ἀσταχύων²⁾).

Atque victor equus circensis nomine Pegasi notatus in CI VI 2, 10052 et 10053 affertur³⁾).

Iam vero ex alis Pegaso tributis et e summa eius velocitate et e figura eius equina explicandum esse videtur, quod nomen Pegasi navibus tribuebatur. Quae quidem inde ab Homero haud raro cum equis comparantur⁴⁾. Atque Ἴππία et Equus nomina navium sunt⁵⁾. Vela autem alae quaedam esse dicuntur⁶⁾. Atque Πετομένη, Πετηνή navium nomina sunt⁷⁾. Denique navium velocitas in epithetis Homericis θοός, ὠκύπορος, ὠκύς, ὠκύαλος cernitur. Atque Ὠκεῖα navis nomen invenitur. Quae cum ita essent, non multum aberat, ut Pegasus navis alaeque eius vela fuisse dicerentur (Palaephat. 29; Plut. mulier. virtut. 248; Tzetz. compluribus locis⁸⁾). Nomen autem navis Pegasus loco Siliii Italici occurrit (Pun. XIV 575/76):

¹⁾ Cf. Otto, Archiv fuer lat. Lexikograph. III p. 223; Sprichwoerter von Roemer (1890) p. 271.

²⁾ Epigrammata duo priora IX 19 et 20 eiusdem generis sunt.

³⁾ Cf. Jeschonnek, De nominibus quae Graeci pecudibus domesticis indiderunt (1885) p. 49.

⁴⁾ Cf. Voelcker, Mythol. des Japetischen Geschlechts (1824) p. 145 sq.

⁵⁾ Schoemann, Op. I p. 304.

⁶⁾ Voelcker l. c. p. 149; Rothstein ad Prop. IV 6, 47.

⁷⁾ Schoemann l. c. p. 305.

⁸⁾ De hac fabulae explicatione infra (p. 153 sq.) fusius dicendum est.

*at vinclis trahitur cognata in litora Anapus,
Gorgoneasque ferens ad sidera Pegasus alas.*

At de certa fabulae ratione non agitur. Sed navi Pegasi nomen datum est, quod is praecipue equus ales est.

Atque etiam ut navium insigne Pegasus adhibitus esse videtur. Scholiasta enim ad Iuvenalem IV 77 (ed. Iahn.) dicit Pegasus, notum iuris Romani interpretem qui Domitiani aetate fuit, trierarchi filium fuisse, ex cuius liburnae parasemo nomen acceperit. Sed etiam hoc factum non est, nisi quod Pegasus praecipue equus alatus est.

E.

De Pegasi nomine.

1. Quoniam de alis Pegaso tributis diximus, nunc pauca de Pegasi nomine proferantur.

Nec vero cui linguae tribuendum sit, iam incertum est. Nam et genealogiam et artam cum Bellerophonte coniunctionem documento esse vidimus Pegasus Graecorum utique fabulae assignandum esse. Quod cum ita sit, certo ab iis dissentiendum est qui Pegasi nomen e lingua orientali ductum esse putant. Ut Grotendius signatorio cylindro Babylonico (!) fultus, ubi Perseus Pegaso vehatur, nomen e *pegaha* quod pugnam, et *sus* quod equum significet, constare opinatur¹⁾. Vel Pegasi nomen e *pag* vel *pega*, quae voces frenum significant, et *sus* compositum esse dicitur²⁾.

Ac si lingua Caria, id quod nondum constat, orientalis est, Pegasi nomen ne huic quidem tribui posse apparet. Sed etiamsi earum linguarum esset quae Indogermanicae dici solent, Pegasi nomen ab ea abhorreret. Nam Pegasi fabulam postea demum in Cariam e Graecia ipsa translata esse

¹⁾ Arch. Ztg. XI (1853) p. 29.

²⁾ Bochart, Hierozoica ed. Rosenmueller I p. 36/37, quocum Bérard consentit, quamquam Pegasi nomen Graecum esse non utique negat (De l'origine des cultes arcadiens p. 116.)

comprobavimus (cf. p. 26 sq). Quamquam Treuber contendit ipsum Pegasi nomen forma parum Graeca esse¹⁾. Nec vero haec opinio ullo argumento confirmatur.

Iam nomen e Graecae linguae thesauro explicare conemur.

Ac primus quidem Hesiodus Pegasi nomen interpretatus est (Theog. 282/83):

τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἀρ' Ὀκείανου περὶ πηγᾶς
γένθ'.

Hesiodum igitur nomen a voce πηγῆ repetere videmus. Qua cum voce etiam ab aliis veterum auctoribus coniunctum est. Atque hac quoque aetate haud pauci viri docti Pegasi nomen ad vocem πηγῆν rettulerunt iis fabulis nixi quibus Pegasus fontes nonnullos ictu unguulae produxisse fertur. Attamen eum cum fontibus non cohaesisse argumentis evicimus. Quare illa nominis enodatio probari non potest.

Tum nomen a voce πηδᾶν ductum esse putaverunt: schol. ad Hom. Il. VI 125: διὰ τοῦτο ἔσχε τὸ ὄνομα, ὅτι ἐκπεπηδήκει τοῦ τῆς Γοργόνος τραχήλου; schol. Hes. quod infra laudabitur. Atque hac quidem aetate Lobeckius, Preller, Sonnius Pegasus eundem atque Πήδασον, equum Achillis, esse putaverunt²⁾. Ne vero quis huic veriloquio assentiatur, causa grammatica obstat. Neque enim neglegi potest, quod altera radix littera γ, altera δ terminatur³⁾. Qua praeterea ratione saltus cum Pegaso coniunctus sit, frustra inquiras. Immo Pegasus equus alatus est, cui saliendi occasio adempta est.

Una autem radix reliqua est cuius in enodando Pegasi nomine ratio haberi possit. Atque haec πηγ- est quam cum alia vocabula tum πηγός, πήγνυμι, πηγείμαλλος continent. Quamquam Fick-Bechtel putant πηγείμαλλον per se stare. Quibus priori huius vocis parti (πήγεσι—) nomen Πήγασος respondere videtur⁴⁾. Sed tamen et veteres (cf. Suid. s. v. ἐλασιπέπλοι; Eustath. ad Hom. Il. III 197) et

¹⁾ Beitrage zur Gesch. der Lykier (1886) p. 16.

²⁾ Cf. Jeschonnek l. c. p. 51.

³⁾ Ceterum veteres ipsi quoque vocem πηγῆν a πηδᾶν repetiverunt; cf. Unger, Thebana paradoxa p. 114/15.

⁴⁾ Griech. Personennamen² p. 467.

huius aetatis grammatici recte intellexerunt vocem πηγεί-
μαλλον aequè formatam esse atque e. g. ἔγγεσίμωρος a voce
ἔγγος. Quod indicio est πηγείμαλλον a radice πηγ-
ductum esse. Praeterea Γόργασος, Ἴππασος, Πύρασος aliaque nomina
quibus vox Pegasus plane respondet, docent ασος terminationem,
πηγ- radicem esse.

Sed incertum manet, quae vis nomini insit. Nam radices
illius variae significationes proferuntur.

Ac primum quidem idem ac bene compactus valere
dicitur. His enim verbis redditur: ἐπαγής, ἐτραφής, τρο-
φός, εὐμεγέθης, μέγας, ἰσχυρός, στερεός, ἀδιάλυτος, ψυχρός (schol.
ad Hom. II. III 197; X 124; Od. V 388; Hesych.
s. v. πηγός et πηγείμαλλος, Et. Magn., Suid. sub iisdem vo-
cibus; Eustath. ad illos Homeri locos). Qua cum signi-
ficatione cohaerere videtur, quod a Stratone, poeta comico,
sal πηγός nominatur (frg. com. IV p. 548 Meinek.). Eadem
autem significatio radici illi a viris doctis huius aetatis tri-
bui solet. Iam vero radici πηγ- iisdem veterum locis quos
modo attulimus, et scholio ad Hes. Theog. 325 (Io. Diacono)
etiam coloris, nigri vel albi, significatio ascribitur. Et
quod ab Alemane (frg. 23, 47/48 B⁴) somnia forma equina
usa ἵπποι πηγοί nominantur, Wilamowitzius item de colore
quodam cogitandum esse putat¹). Praeterea quod Callima-
chus canes πηγούς appellat (h. III 20), plerique con-
sentiunt pariter coloris significationem ponendam esse²).
Atque Lycophronem Alex. 336 (cf. Eust. ad Hom. II.
III 197; schol. ad Hes. Theog. 325, Io. Diac.) coloris albi
significationem intellegere apparet³).

2. Iam existit quaestio, quaenam variarum significationum
radicis πηγ- in Pegasus cadat. Ea autem sine dubio ponenda
est quae cum vetustissimis de Pegaso fabulis, genealogia
et arto cum Bellerophonte conexu, optime convenit.

¹) Hermes XXXII (1897) p. 252 n. 2; qua cum re Furtwaengler
gemma coniungit in qua equi caput invenitur cuius tempora alis
praedita sunt, Gemmen I t. 45; 57.

²) Hac de re copiosius egit F. de Jan, de Callimacho Homeri in-
terprete (1893) p. 20 sq.

³) Cf. J. Konze, De dictione Lycophronis (1870) p. 55/56.

Primum igitur videamus, utrum color albus statuendus sit. Quo a colore scholiasta ad Hes. Theog. 325 (Io. Diac. 567 = p. 319/20 Flach) Pegasi nomen repetit: Πήγασος μὲν οὖν ἀπὸ τοῦ σεύειν τοῦ Ὀκεανοῦ, τουτέστιν ὄρμαν, λαμπρὸν λελουμένος ἐν ἕαρι. οἶμαι δὲ καὶ διὰ τοῦτο τῆς Ἡμέρας πῶλον λευκὸν ἢ Ἑλληνικῆ αὐτονομία τὸν Πήγασον παραδέδωκε. Sed albi significatio ad genealogiae fabulam minime quadrat. Terribilibus Gorgonibus niger potius color tribuitur (Aesch. Cho. 1047; Eum. 52). Atque ne cum Neptuno quidem Κυανοχαίτη (Hes. Theog. 278) illa significatio bene concineret. Praeterea albus color etiam cum funesto atroque Bellerophontis deiectu cuius Pegasus auctor fuit, parum conveniret. Hanc igitur significationem radicis cum Pegasi nomine cohaerere negandum est. Videamus igitur conveniatne nigri significatio. Atque cum genealogiae fabula optime eam concinere modo perspeximus. Nec vero ad Bellerophontis fabulam quadrat. Pegasus enim quamquam funesti deiectus, tamen etiam victoriae a Chimaera reportatae auctor est. Quod cum ita sit, ne nigri quidem significatio ponenda esse videtur.

Quare eam significationem amplectendam esse duco quam primo loco attulimus. Quamquam vocabula quibus eam reddi vidimus, aliquantum inter se differunt. Atque Pegasus ad ἀδιάλυτον vel ψυχρὸν referendum esse scholiasta ad Hes. Theog. 325 (Io. Diac. = p. 320 Flach.) putat, a quo Pegasus nominatur ἢ παγετοῦσα ψύξις τὰς ἐν ἀέρι ὑγρὰς ἀναθυμιάσεις . . . ἀφαιροῦσα. Nec vero huic fabulae explicationi assentiendum esse in promptu est. Ac Pegasi nomen ne inde quidem ductum esse, quod εὐτραφῆς vel τροφόμενος fuerit, in aperto est. Alii autem Pegasus cum πηγ-νύμαι cohaerere putant, quae ipsa vox de navium aedificatione usurpatur. Ac Pegasus navem fuisse contendunt. Quae fabulae explicatio iam apud Palaephatum (29) occurrit. Recenti autem aetate eam iis fabularum interpretibus qui a ratione nomen traxerunt, ut Ruhnkenio¹⁾, Godofredo Hermanno²⁾ aliis permultum placuisse facile intellegitur. Nec vero cum iis faciendum esse hodie constat. Una igitur significatio restat

¹⁾ Op.² I p. 419.

²⁾ Op. II p. 180.

qua radix illa μέγα et ισχυρόν est, quacum iam A. Kuhn, Schoemannus, Kretschmer, Gruppius aliique Pegasi nomen coniunxerunt. Atque ad Pegasus optime quadrat. Nam auctor victoriae a Chimaera reportatae est atque dominum Belerophonem deiecit. Atque etiam cum genealogiae fabula bene convenit. Unum moneo sororem Medusae Σθενώ, equum Neptuni Σθένιον nominari. Atque nomen Arionis quem etiam fabulis Pegaso persimilem esse plus semel monuimus, fere idem significare videtur¹⁾.

F.

De fabulae explicatione.

Reliquum est, ut de explicatione fabulae disseramus.

1. Ac primum quidem veterum ipsorum opiniones persequamur.

Quamquam Plato noto quodam Phaedri loco (229/30) multum otii sine dubio illi esse dicit qui Hippocentaurorum, Chimareae, Gorgonum, Pegasorum figuras ad rationem referre studeat²⁾. Atque Agatharchides eos reprehendit qui τῶν μυθοποιῶν ἐξουσίαν εἰς πραγματικὴν ἐνέργειαν μετὰγοντες cum alias fabularum figuras tum Chimaeram et Pegasus re vera exstitisse dicunt (Phot. Bibl. cod. 250. § 7/8 Mueller). Sed ut aequae atque Aristoteles, Aristarchus, Eratosthenes ipsam quam putat poetarum licentiam minime increpat (§ 8 in fine), ita Lucianus in eos quos cum alia tum Pegasos, Chimaeram, Gorgones finxisse existimat, vehementer invehitur (Philopseud. 2). Quamquam alio loco fabulae quae de Pegaso est, veri quiddam subiectum esse iudicat: ἐγὼ δὲ καὶ περὶ Βελλεροφόντew τοιαύδε φρονῶ. πτηνὸν μὲν οἱ γενέσθαι ὡς ἵππον, οὐ μάλᾳ πείθομαι, δοκέω δὲ μιν ταύτην τὴν σοφίην μετέποντα

¹⁾ Cf. Maass Idg. Forschg. I p. 166; Kretschmer, Die griech. Vasenschriften (1894) p. 43 sq.; Solmsen, Untersuch. zur griech. Laut- und Verslehre (1901) p. 53 sq.

²⁾ Hae figurae fabulosae proverbii loco de iis dicuntur quae neque exstant neque exstare possunt; cf. Astium ad illum Platonis locum.

ὕψηλά τε φρονέοντα καὶ ἄστροισιν ὀμιλέοντα ἐς οὐρανὸν οὐχὶ τῷ ἵππῳ ἀναβῆναι, ἀλλὰ τῇ διανοίῃ (de astrol. 13). Similiter Sextus Empiricus iudicat fabulam πραγμάτων ἀγενήτων καὶ ψευδῶν ἔκθεσιν esse. Ut dicunt τὸν Πήγασον λαίμοτομηθείσης τῆς Γοργόνης ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐκδορεῖν (adv. mathem. 264). Nihilominus ipse ille locus Platonis documento est Pegasi fabulam aetate satis antiqua explicatam esse. Neque enim dubium est quin sophistas spectet quos in fabulis explicandis multum operae ac laboris consumpsisse constat.

Magis quam Plato fabularum explicationi favit Aristoteles. Atque Peripatetici in pragmatica quam vocant interpretatione studium et industriam maximam collocaverunt¹⁾.

Quorum quidem doctrinam Palaephatum suam fecit²⁾. Qui quidem hanc Pegasi explicationem profert: Βελλεροφόντης ἦν Φρύγιος ἀνὴρ τὸ γένος Κορίνθιος καλὸς καὶ ἀγαθός, ὃς πλοῖον κατασκευάσας μακρὸν ἐληίζετο τὰ παραθαλάττια χωρία. ὄνομα δὲ ἦν τῷ πλοίῳ Πήγασος, ὡς καὶ νῦν ἕκαστον τῶν πλοίων ὄνομα ἔχει. ἐμοὶ δὲ δοκεῖ πλοίῳ μᾶλλον ἢ ἵππῳ ὄνομα εἶναι Πήγασος ἔλεγον οὖν οἱ προσχώριοι Βελλεροφόντην ἀφικόμενον μετὰ Πηγάσου τὴν Ἀμισωδάρου Χίμαιραν ἀπολέσαι. τοῦτου δὲ γεγονότος προσανεπλάσθη ὁ μῦθος (29). Quam explicandi rationem laudat Theo (Progymn. VI 36). Ipsa autem illa interpretatio affertur in Chronicis Eusebii: vers. Armen. *verum Palaephatum dicit quod navis Belorophontis erat Pegasus* (ab Abr. 669); apud Hieronymum: *sive ut Palaephatum affirmat, Bellerofontis navis fuit* (ab Abr. 682); apud Syncellum: ὡς δὲ Παλαίφατος, Βελλεροφόντου πλοῖον ἦν ὁ Πήγασος (306, 3 Bonn.); denique in primo fragmento Io. Antiocheni: Παλαίφατος δὲ Βελλεροφόντου τοῦτό φησιν πλοῖον (FHG IV p. 539 frgm. I 8). Quod fragmentum in tertium librum chronographiarum S. Iulii Africani redire omnes consentiunt³⁾. Omnes igitur loci illi ex hoc libro S. Iulii Africani

¹⁾ Ziehen, Berichte des Frankfurter freien deutschen Hochstifts (1890) p. 438.

²⁾ I. Schrader, Palaephatea (1894) p. 50 sq.; de Wilamowitz, Heracl.² p. 101 n. 184.

³⁾ Mueller, Gelzer, Boissevain, Sotiriades, Patzig.

pendent. Qui quidem Palaephato multum usus est¹⁾. Quod idem de Tzetzta dicendum est, qui Palaephateam Pegasi explicationem compluribus locis secutus est (ad Lycophr. 17; Chiliad. VII 834 sq.; XII 418 sq.; Alleg. ad. Hom. II. VI 51/53).

Similem autem ad librum atque Palaephateum Plutarchi locus redire videtur quo et ipso Pegasus navis fuisse dicitur: Ἀμισώδαρος ληστρίδας ἄγων ναῦς, ὧν Χίμαρρος ἠγεῖτο πολεμιστῆς μὲν ἀνὴρ, ὠμὸς δὲ καὶ θηριώδης. ἐπλεῖ δὲ πλοῖω λέοντα μὲν ἔχοντι πρῶραθεν ἐπίσημον, ἐκ δὲ πρύμνης δράκοντα καὶ πολλὰ κακὰ τοὺς Λυκίους ἐποίει, καὶ πλεῦσαι τὴν θάλατταν οὐκ ἦν τοῦτον οὖν ἀποκτείνας ὁ Βελλεροφόντης φεύγοντα τῷ Πηγάσῳ διώξας (mulier. virtut. 248). Quamquam Pegasus navem fuisse non dilucide dictum est, tamen ex ipso sermonis contextu planum fit.

Eandem explicandi rationem quam praeter Peripateticos famosissimum Euhemeri opus auxisse constat, etiam Heraclitus amplexus est, quamquam praeter pragmaticam etiam allegoricam quae dicitur explicationem adhibet: αὕτη ἐταίρα καλὴ ἐγένετο, ὡς τὸν ἰδόντα αὐτὴν ἐκπληκτον γενόμενον οἶον ἀπολιθοῦσθαι. . . . παραγενομένου δὲ Περσέως ἐν ἔρωτι γενομένη τὰ τε ὑπάρχοντα κατέφαγε καὶ τὴν ἑαυτῆς ἡλικίαν κατέφθειρεν, ἀπολέσασα δὲ τὴν ἡλικίαν καὶ τὰ ὑπάρχοντα ἵππειον γῆρας ἐγήρασεν· ἡ γὰρ κεφαλὴ τὸ τῆς ἡλικίας ἄνθος ἐστίν, ὃ ἀφείλετο αὐτῆς ὁ Περσεύς (de incredibil. 1)²⁾. Eadem autem Medusae explicatio occurrit in Armeniaca Eusebii versione: *Perseus . . . Gorgonam decollavit: et ipse aliam duxit uxorem pulchram*³⁾, *quae venustate spectantes stupefaciebat, ita ut in lapides verti putarentur. De qua dicit Didymus in eiusdem libro (historia) et apponit scriptorem eiusdem* (ab Abr. 670); apud Hieronymum: *Perseus adversum Persas dimicavit Gorgonae meretricis capite desecto, quae propter eximiam pulchritudinem ita exspectatores suae mentis impotes reddebat, ut vertere eos putaretur in lapides. Didymus scribit in peregrina historia et praebet scriptorem eius* (ab Abr. 670); apud Syn-

¹⁾ Gelzer I p. 71; 245; Schrader l. c. p. 8. n. 2.

²⁾ De locutione ἵππειον γῆρας cf. Schneidewin, Ibyci Rhag. carm. reliqu. p. 106/7.

³⁾ Versionis error a PETERMANNO explicatus est p. LIV ed. Schoen.

cellum: τὴν δὲ Γοργόνα ἐκαρτόμησεν ἑταίραν εὐμορφον διὰ κάλλους ἐξιστώσαν τοὺς θεατάς, ὡς ἀπολιθοῦσθαι δοκεῖν. Δίδυμός φησιν ἐν ἱστορίᾳ ξένη καὶ παρατίθεται τὸν συγγραφέα ταύτης (306, 2 Bonn.); apud Io. Antiochenum ἡ Γοργῶν ἑταίρα ἦν εὐμορφος διὰ κάλλος ἐξιστώσα τοὺς θεατάς, ὡς ἀπολιθοῦσθαι δοκεῖν (F. H. G. IV p. 539 frg. I 8). Quod fragmentum Antiocheni cum ad S. Iul. Africanum redeat (cf. p. 153), hi quoque loci omnes ex eodem pendent. Quibus locis Didymus hanc explicationem in ἱστορίᾳ ξένη nomine scriptoris addito narrasse dicitur. Unde apparet S. Iul. Africanum non ad Heraclitum sed ad Didymum redire. Quo ille etiam alias usus est. Nec vero unde Didymus hauserit, excuti potest. Neque Heraclitum secutus est, hic enim aetate posteriore fuisse videtur, neque Alexandrum Myndium¹⁾, nam etiam hic aetate posterior Didymo fuit²⁾. Praeterea apud Athenaeum IV 221 b—d explicatio Medusae ab Alexandro Myndio facta affertur quae ab illa Didymea prorsus differt. Verisimile autem est Didymum et Heraclitum ex eodem fonte hausisse³⁾.

Nec vero praeter Medusae ipsius explicationem locis illis qui ad S. Iul. Africanum redeunt, quicquam invenitur quod cum Heraclito concinat. Immo Io. Antiochenus pergit: καὶ ὁ Πήγασος αὐτῆς ἦν κτήμα ἵππος ὀξύς ὢν; Syncellus: ὁ Πήγασος τάχα τις ἵππος ὀξύς, κτήμα τῆς γυναικός; Hieronymus: *Pegasus equus velocissimus cuiusdam mulieris* (ab Abr. 682); contra in versione Armeniaca Pegasi interpretatio errore ante explicationem Medusae posita est: *Pegasus forsitan equus erat velox, possessio mulieris cuiusdam*. Sed ordinem prioribus locis allatum rectum esse in aperto est. Quo autem ex fonte haec Pegasi explicatio hausta sit, erui nequit. Reginensi autem in codice Hieronymi, quem multis et gravibus additamentis eminere constat, item Pegasus equus velox fuisse dicitur. Nec vero haec interpretatio cum Gorgonis sed cum Bellerophontis fabula conexa est (I p. 117 ed. Schoen.). Atque cum Bellerophontis fabula etiam haec Apulei interpretatio coniuncta est. *Pegasum enim metu*

¹⁾ Quod M. Schmidt opinatus est, Didymi fragm. p. 358.

²⁾ M. Wellmann, *Hermes* XXVI (1891) p. 540.

³⁾ Num ex Herodoro? cf. Schmidt l. c.

magis volaticum fuisse et per hoc merito pinnatum proditum, dum in altum et adusque coelum subsilit ac resultat, formidans scil. igniferae morsum Chimaerae (Metam. VIII 522). Praeterea etiam Eustathius Pegasus nihil fuisse profert nisi equum velocissimum: εἰ δὲ οὗτοι παραβολικῶς πέτεσθαι λέγονται, οὐκ ἂν οὐδὲ ὁ τοῦ Βελλεροφόντου Πήγασος ἄλλως πέτοιτο (ad Hom. Od. III 486 p. 1477, 56).

Denique locis quibus Pegasi fabula ad historiae similitudinem refertur, Augustinus adiciatur (de civ. dei XVIII 13). Qui ut propriam Pegasi explicationem non profert, ita inter fabulas fictas *ex occasione historiarum, quae res veraciter gestas continent*, etiam Bellerophontis fabulam enumerat, *quod equo pinnis volante sit vectus, qui equus Pegasus dictus est*¹⁾.

Iam sequantur loci complures quibus quamquam non propria fabulae explicatio continetur, tamen Pegasus re vera exstitisse fertur. Constat enim Alexandri Magni aetate genus quoddam fabularum ortum esse quibus de India, Arabia, Aethiopia aliisque terris res maxime mirae narrabantur. Qualium fabularum auctores novas atque miras terrarum illarum bestias easdem esse fingebant atque figuras fabularum domesticarum, Centauros, Chimaeram, Gorgones, Sphinges, Lamias aliasque. Beluae autem externae illae nominibus fabularum Graecarum praeditae et in chorographias (Iubae, Melae, Solini) et in historiam naturalem (Alexandri Myndii, Plinii) transierunt²⁾.

Quod etiam Pegaso contigit. Eum igitur totius generis significationem factum esse apparet. Ut Pomponius Mela in Aethiopiae descriptione haec profert: *sunt mirae aves cornutae tragopanes et equinis auribus pegasi* (III 88)³⁾. Qui

¹⁾ Cf. de hoc loco Kettner, Varronische Stud. p. 71; cum quo Frickius dissentit, Die Quellen Augustins im 18. Buch seiner Schrift de civ. dei (1886) p. 31 sq.

²⁾ Cf. E. Rohde, griech. Roman² p. 172 sq.; I. Bolte, De monumentis ad Odysseam pertinentibus (1882) p. 61.

³⁾ In codice Vat. unde ceteri pendent, particula *et* ante vocem *pegasi* posita est. Sed Plinii et Solini loci quos statim laudabimus, documento sunt particulam *et* ante vocem *equinis* ponendam esse. Quod iam Hermolaus Barbarus recte intellexit.

Melae locus unde sumptus sit, erui nequit. Nec vero Plinio illud genus pegasorum exstare verisimile videtur. Hoc enim loco qui ex eodem fonte atque brevior Melae locus (Iuba?) haustus esse videtur, dicit: *Pegasos equino capite volucres¹⁾ et gryphas aurita aduncitate rostri fabulosos reor, illos in Scythia, hos in Aethiopia²⁾. equidem et tragopana, de quo plures adfirmant, maiorem aquila, cornua in temporibus curvata habentem ferruginei coloris tantum capite Phoeniceo . . .* (X 136). Idem vero atque Mela Solinus de Pegaso profert: *illius caeli* (scil. Aethiopici) *ales est pegasus, sed haec ales equinum nihil praeter aures habet* (c. 30, 29). Quod non e Plinio mutuatus est, cum pegasos non capite sed auribus equinis indutos esse dicat. Contra haec quae addit, cum Plinio, ut fere, optime concinunt: *tragopan quoque avis maior aquilis, cornibus arietinis praeferens armatum caput*. Qui locus cum certo non ad duplicem fontem redeat, et ipse documento est Solinum non e Plinio ipso sed e fonte hausisse quo etiam Melae additamenta continebantur³⁾. Alia vero de pegasis hoc Plinii loco dicuntur: *lyncaes vulgo frequentes⁴⁾ et sphingas fusco pilo, mammis in pectore geminis⁵⁾ Aethiopia generat, multaque alia monstri similia, pinnatos equos et cornibus armatos, quos pegasos vocant* (VIII 21,82). Unde autem quae de pegasis narrat, sumpta sint, erui nequit. Quamquam nescio, an e Plinii indiligentia orta sint, qua ea quae locis prioribus de tragopanibus et de pegasis dicuntur, temere confuderit. Incertum autem est, an cum illis fabulis Romanensibus quibus pegasi aves dicebantur, Aristides cohaereat. Qui quidem inter *παλαιὰ καὶ μυθώδη* quae Corinthi familiaria sint, enumerat τὸ Πηγᾶσου πτερὸν λεγόμενον, εἴτε ὡς Ἴππου σὺ φήσεις, εἴτε καὶ ὡς ὄρνιθος (εἰς Ποσειδῶνα 29 K.).

¹⁾ Quod pegasis non solum ut Mela aures equinas sed totum equi caput ascribit, non ex altero fonte sumptum, sed negligentiae eius haud infrequenti tribuendum esse videtur. Cf. Muenzer, Beitrage zur Quellenkrit. (1897) p. 119.

²⁾ Vox *hos* huius loci non ad gryphas referenda est. Nam II 1 Plinius gryphas in Scythia collocat atque ceteri auctores Pegasos Aethiopiae tribuunt.

³⁾ Teuffel-Schwabe, Roem. Litter.-Gesch. 5 § 389, 4.

⁴⁾ Iubam sequitur; cf. Muenzer l. c. p. 417.

⁵⁾ Agatharchidem sequitur frg. 73 Mueller; cf. Muenzer l. c. p. 417.

2. Iam perlustratis pragmaticis fabulae explicationibus ad allegoricas quae vocantur transeamus. Quas quidem Stoicos in deliciis habuisse constat. Atque fabulas ad ea quae in rerum natura fiunt, referebant. Fabularum autem interpretationes veriloquiis fulcire studebant, quibus quidem pro summo arbitrio nunquam carebant. Qualia etiam in Pegasi explicationibus occurrunt. Explicandis autem in fabulis Stoici praeter carmina Homeri maxime Hesiodum pro fundamento ponebant, quem suo more interpretabantur. Atque allegoricae illae Pegasi explicationes ad unam omnes scholiis Hesiodeis continentur. Quibus quidem doctrinae Stoicae maximam rationem haberi constat¹⁾. Quamquam fabulae explicationes pleraeque ad certos Stoicos referri non possunt, cum ipsi eorum libri maximam partem perierint²⁾.

Atque scholio vetere ad Hesiod. Theog. 276 (= Flach. p. 241) haec Pegasi explicatio occurrit: τὴν δὲ Μέδουσαν, ὡς θνητὴν ἀναιρεῖ· ἦγουν τὸ βασιλικώτατον καὶ λεπτόν τῆ κινήσει τῆ ἑαυτοῦ ἀνιμάται. ὄρυξ δὲ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ὁ Πήγασος. ἀνιμωμένου γὰρ τοῦ ἡλίου καὶ τοῦ ἀέρος τὸ κεφαλαϊῶδες καὶ ἀτμῶδες συμβαίνει τὸ βαρύτερον ἀναφερόμενον καταπηγάζειν καὶ γέεσθαι. Quibuscum fere conveniunt quae ad v. 282 proferuntur: τοῦ γὰρ ὕδατος ἀναχθέντος τίκτονται ἀστραπαὶ καὶ ὄμβροι, ὃ ἐστὶ Χρυσάωρ καὶ Πήγασος. Hac igitur ex interpretatione Pegasus imber est qui in alta aerum regione natus in terram decidit. Quod cum ipsis Hesiodi verbis non concinere in aperto est. Qua cum interpretatione altera Io. Diaconi ad v. 280 (= Flach. p. 316) non cohaeret, quamquam Perseus item solem significare dicitur et Pegasi nomen item a radice πηγ- quae in voce πηγὴ inest, repetitur. Sed tamen explicatio et Pegasi et Gorgonum prorsus diversa est. Atque Gorgones navigationes esse dicuntur quae pro singulis anni temporibus variantur³⁾. Medusa autem terribilem vernam navigationem significare dicitur. Cuius Perseus qui ad solem refertur, finem facit: καὶ τοῦ τοιοῦτου πλοῦ τὴν ἰσχὺν ἀφαιρούμενος πᾶσαν ἔαρ ἐπιτελεῖ καθαρὸν, ἐν ᾧ καὶ αἱ πηγαὶ τὰ

¹⁾ Flach, Glossen und Scholien (1876) p. 29 sq.

²⁾ Flach l. c. praef. XI.

³⁾ Haec explicatio in Hes. Op. et D. 663 sq. posita est.

χρυσοειδή ὕδατα ἀναβλύζουσιν· ἐξ ὧν πλεοναζόντων ὑδάτων καὶ πανταχοῦ βρόντων ἀνεῖσι περὶ τὸν αἰθέρα ἢ τῶν ἐν θέρει γινομένων βροντῶν τε καὶ ἀστραπῶν συστατικὴ ἀναθυμίασις. Πήγασος δὲ εἶρηται ἢ ἀπὸ τῶν πηγῶν σεύουσα καὶ ὄρμῶσα ἀναθυμίασις. Pegasus igitur in terra natus subvolat. Quare hanc explicationem cum Hesiodi verbis melius coniungi vides. Quod maxime ex iis elucet quae ad v. 292 proferuntur. Ubi eadem illa explicatio repetitur: Ζηνὸς δ' ἐν δώμασιν ὁ Πήγασος λέγεται κατοικεῖν ἀνελθὼν ἀπὸ τῆς γῆς, παρόσον ἐν τῷ καλουμένῳ αἰθέρι αἱ τῶν νεφῶν συστάσεις ἀνέρχονται (Flach. p. 317). Explicatio exegeseos XI vel XII saeculo attribuendae ne ipsa quidem cum illis quae antea attulimus, cohaeret. Quamquam enim Perseus item ad solem refertur, tamen et Medusae et Pegasi explicatio prorsus diversa occurrit. Atque ad v. 277 haec afferuntur: ὁπότε δὲ ταύτης τῆς Μεδούσης τὴν κεφαλὴν, ἤγουν τῆς γηίνης ἀναθυμιάσεως τὴν ἐπιφάνειαν, ὁ Περσεύς, ἤγουν ὁ ἥλιος, ἀφείλετο, ἐπήδησεν ὁ Πήγασος ἵππος καὶ ὁ Χρυσάωρ, δηλονότι οἱ ἀνεμοὶ καὶ αἱ ἀστραπαί. Περσεὺς δὲ ἐτυμολογεῖται παρὰ τὸ περισσῶς σεύειν καὶ ὄρμᾶν, Πήγασος δὲ παρὰ τὸ πηδᾶν (Flach. p. 390).

Iam fabulae interpretationes quas adhuc enumeravimus, e versibus 280 sq. ductae sunt. Plane autem aliae pro loci diversitate ad v. 325 afferuntur. Atque de explicatione scholiorum veterum alio loco dicendum est. Apud Diaconum autem haec occurrit: λέγοιτο δ' ἂν Πήγασος νῦν ὁ ἥλιος αὐτός, ὃν καὶ Βελλεροφόντην εἶπομεν. Pegasi veriloquium paulo post proferitur: Πήγασος μὲν οὖν ἀπὸ τοῦ σεύειν τοῦ Ὀκεανοῦ, τουτέστιν ὄρμᾶν, λαμπρὸν λελουμένος ἐν ἕαρι. Hoc igitur loco nomen a radice πηγ- quam πηγός continet, repetitur (cf. p. 151). Altera autem fabulae interpretatio ibidem occurrit: ἢ Πήγασος ἂν εἴη . . . ἢ παγετοῦσα φύξις τὰς ἐν ἀέρι ὑγρὰς ἀναθυμιάσεις . . . ἀφαιροῦσα. καὶ γὰρ χιόνων καὶ χαλαζῶν καὶ τῶν λοιπῶν πεπηγόντων ὑδάτων γενομένων ἐλαττοῦνται οἱ ὄμβροι (= Flach. p. 319/20). In exegesi autem haec explicatio inest: ἦν ὁ Πήγασος, ἤγουν ὁ ἥλιος, ἀνέϊλε καὶ ὁ Βελλεροφόντης, ἢ δύναμις δηλαδὴ τοῦ ἡλίου, ἢ τὰ φερόμενα βέλη ἀναιροῦσα (Flach. p. 394). Qui locus quin quodammodo cum Pegasi explicatione Bellerophonisque veriloquio priore illo Diaconi loco allatis cohaereat, non dubium est. Atque etiam aliae exegeseos explica-

tionem cum iis cohaerent quae apud Diaconum occurrunt.¹⁾ Denique Pegasus etiam in glossa codicis Monac. 283 ad v. 325 allata ad solem refertur (Flach. p. 189).

Iam ad aliud genus explicationis allegoricae transeamus. Cuius ratio ea est, ut fabulae ad naturam animi referantur. Quam explicandi viam maxime Neoplatonici inierunt.

Atque universe Syrianus in scholiis Phaedri Platonici de Pegasi natura dicit: οἱ δὲ μὲν Κένταυροι καὶ Γοργόνες καὶ Πήγασοι δυνάμεις εἰσὶν αὐταὶ πᾶσαι τοῦ ἐνύλου προσετώσαι καὶ τοῦ περὶ γῆν τόπου (ad 229/30). Ubi δυνάμεις non quaedam naturae vires sed pro Neoplatonicorum doctrina numina quaedam agnoscenda sunt, qualia mundo terrestri praesidere putantur.

Propria autem explicatio hoc loco veterum Hesiodi scholiorum occurrit: Πήγασον καλεῖ τὸν συγκεκραμένον θυμόν, ὃς ἔχει συγκεκραμένον τὸ ἄλογον μέρος τῷ λογικῷ (Flach. p. 246). Quae Neoplatonico attribuenda est. Stoici enim hominem et bestiam ita plurimum distare existimant, ut ille ψυχὴν καὶ λόγον ἔχουσιν καὶ διάνοιαν, haec ἄλογον ψυχὴν habeat. Contra Neoplatonici tantum hominis bestiaeque discrimen non faciunt, sed bestiae hominisque naturam confundi posse putant. Alia huius generis explicatio hoc exegeseos loco invenitur: ἦν χίμαιραν . . . ἀνεῖλεν ὁ Πήγασος ὁ Βελλεροφόντης, ὁ τῶν κάτω καταφρονῶν ἄνθρωπος δηλαδή, καὶ οἶον ὑπερπηδῶν (Flach. p. 393). Quae redeatne et ipsa in Neoplatonicum, erui nequit. Denique in glossa codicis Vat. 1332 ad v. 325 allata Pegasus dicitur ὁ νοῦς ὑπεράνω τῆς κακίας φερόμενος (Flach. p. 189).

Aequae autem ac Neoplatonicorum Fulgentii explicationes factae sunt. Qui quidem in primo libro Mythologiarum hanc fabulae interpretationem profert: *de sanguine eius nascitur Pegasus in figura famae constitutus, virtus enim, dum terrorem amputaverit, famam generat. unde et volare dicitur, quia fama est volucris. unde et Tiberianus: Pegasus hinnientem transvolaturus aethram. ideo et Musis fontem ungula sua rupisse fertur, quod Musae ad describendum famam heroum aut sequantur proprium aut indicent antiquorum* (I 26). Alio autem loco quo de Bellerophonte verba facit, explicationem

¹⁾ Flach l. c. p. 27.

plane diversam edit: *at vero Bellerophon, id est bona consultatio, qualem equum sedet, nisi Pegasum? quasi pegaseon, i. e. fontem aeternum. sapientia enim bonae consultationis aeternus fons est. ideo pennatus, quia universam mundi naturam celerit cogitationum theoria conlustrat. ideo et Musarum fontem ungula sua rupisse fertur. sapientia enim dat Musis fontem. ob hanc rem etiam sanguine Gorgonae nascitur* (III 1). Fulgentii autem interpretatio prior in hos Mythographorum Vaticanorum locos quos afferre supersedeo, transiit: I 130; II 112/13. Nec vero altera Fulgentii explicatio in Mythographis Vaticanis I et II, qui illum maxime sequitur, occurrit. In priore enim parte Mythographo Vaticano I Fulgentius omnino usui non fuit. Contra Myth. Vat. III 14 duo illi Fulgentii loci confusi sunt.

3. Quid vero equidem de „sensu ac significato“ Pegasi iudicem, iam supra indicavi. Neque enim ad fontes (cf. p. 134) neque ad tempestatem (cf. p. 44; p. 92; p. 134) neque ad solem (cf. 92) referendus esse mihi videtur. Ac ne execrationum quidem velocitatem significat (cf. p. 92). Quamquam haec explicatio recte mihi indicare videtur, quae generalis Pegasi natura sit. Nam et vetustissima genealogia qua Pegasus Gorgonis Medusae et Neptuni stirps fertur, et fabula qua Pegasus dominum Bellerophontem perdidisse dicitur, indicio sunt Pegasi daemonicam quae vocatur naturam propriam esse. Sed tamen Pegasum Bellerophontem in Chimaerae pugna etiam adiuvere scimus. Ut Arion (Erion) ipse quoque Adrastum dominum servat. Quare neque Pegasus neque Arion funesti solum equi esse possunt. Sed numina sunt in quibus universa dominorum fortuna, et adversa et secunda, posita est. Cui explicationi neque Pegasi neque Arionis genealogia obstat. Et Gorgones sane et Furiae natura imprimis atra et funesta sunt. Qua cum re convenit et Bellerophontis et Adraști¹⁾ exitum calamitosum esse. Sed tamen neque Gorgo neque Furia meliore quadam natura omnino carent. Atque quod hanc attinet videas, quae Wilamowitzius profert²⁾. Gorgonem autem vi averruncandi non modo adversam sed etiam secundam esse per se apparet.

¹⁾ De hoc cf. de Wilamowitz, Griech. Trag. II p. 226 n. 3.

²⁾ L. c. p. 225; p. 237.

Ut Tegeatae pro summo urbis praesidio caesariem Gorgoneam venerabantur (cf. p. 25). Praeterea Argis in foro Gorgonis caput a Perseo sepultum esse putabatur (Paus. II 21, 6). Intra autem muros heroes certe praesidii causa sepeliebantur¹⁾. Denique stillarum sanguinis Gorgonei duarum altera perniciosa, altera salubris esse existimabatur (Euripid. Ion. 1001 sq.; Tatian. ad Graecos 8; „Apollod.“ bibl. III 10,3)²⁾.

Haec erant quae de Pegasi fabulis proferenda esse existimarem.

¹⁾ E. Rohde, *Psyche*² I p. 159 sq.

²⁾ Cf. O. Mueller, *Klein. Schriften* II p. 172; Immerwahr, *Kulte u. Myth. Arcadiens* (1891) p. 64.

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN

HERAUSGEGEBEN

VON

RICHARD FÖRSTER

ACHTER BAND

~~~~~

**BRESLAU**  
**VERLAG VON M. & H. MARCUS**  
**1902**



Grundriss  
der  
**alten Geschichte und Quellenkunde**  
von  
Willy Strehl.

Zwei Bände. In Leinwand gebunden 10 Mk.

- I. Band: **Griechische Geschichte.** 2. Ausgabe . . . . . 4,40 Mk.  
II. Band: **Römische Geschichte** . . . . . 5,60 Mk.

---

„Das Buch kann Lehrenden und Studierenden durchaus empfohlen werden.“  
Wissenschaftliche Beilage der Leipz. Ztg. (No. 73 v. 20. 6. 01.)

---

Eine längere Besprechung in den „Mitteilungen aus der historischen Litteratur. XXIX.“ schliesst mit den Worten:

„Wenn der Verf. auch in der Vorrede von der „in mancher Hinsicht recht entsagungsvollen Arbeit“ spricht, so findet er auf der anderen Seite um so dankbarere Anerkennung für sein Buch, das ohne Zweifel dem Studierenden wie dem Lehrer der alten Geschichte ein fast unentbehrliches Hilfsmittel werden wird.“

---

„Das Buch füllt eine empfindliche Lücke aus. Studierende und Lehrende vermissen schmerzlich ein Handbuch, das die wissenschaftliche Forschung in ihren Zielen, Wegen und Erfolgen berücksichtigt, das den geschichtlichen Stoff nach den Gesichtspunkten der Entwicklung einfach und übersichtlich gruppierte und in knapper, eindrucksvoller, das Wesentliche markierender Sprache zum Ausdruck brachte. Allen diesen Anforderungen ist in dem vorliegenden Buche Genüge gethan. Die einleitenden Kapitel orientieren ganz ausgezeichnet über die Litteratur und das Quellenmaterial. Der Verfasser des Grundrisses führt uns mit sicherer Hand durch dieses Labyrinth. Ueberall begegnen wir gewissenhafter Prüfung, sorgfältiger Auswahl, gesundem Urteil; überall erfreut uns die prägnante Kürze im Ausdruck. Diese Gabe klarer, knapper Darstellung, diese Vertrautheit mit der Forschung, die jede Kontroverse berücksichtigt und beurtheilt, zeichnet auch den historischen Bericht aus. Ein Repetitorium comme il faut ist Strehl's Grundriss, Studierenden und Lehrenden in gleicher Weise förderlich. — Mehr, als wir es können, wird das vortreffliche Werk, dem der Verleger eine ansprechende Ausstattung und eine handliche Form gegeben hat sich selbst empfehlen.“

Breslauer Zeitung (No. 289 v. 26/4. 01.)